



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XXIV. Pœnitentia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXIV. P O E N I T E N T I A.

§. I.

Symbola

Num. 1.

Resurrectio.

Qui erat mortuus, & cepit loqui. Luc. 7. 15. Signam certum resurrectionis est, loqui discretè: quia nec spiritus malignus ingressus corpus mortui, posset discretè loqui. Quia requiruntur ad loquendum sex membra corporis; & sex potentia animæ; labia, dentes, lingua, palatum, guttur, pulmo: intellectus, voluntas, memoria, imaginatio, visus, auditus. Ergo etiam requiritur unio corporis, & animæ. Resurrectionis ad vitam gratiæ signa, sibi ipsi loqui dolorosè per contritionem. S. Vinc. Ferrer. l. 3. D. 13. Trinit.

Epulari, & gaudere, oportebat: quia frater tuus hic mortuus erat, & revixit; perierat, & inventus est. Luc. 15. 32.

Surrexit Dominus verè. Luc. 24. 34. Resurrectionis triplex genus. 1. ficta Samuelis. 1. Reg. 28. 14. Videbatur enim redivivus, & non erat. Quam multi fictè resurgunt sacrilegè confessi. Apoc. 3. 1. *nomen habes, quod vivas, & mortuus es.* 2. Lazari, & aliorum, qui verè resurrexerunt; sed rursus mortui sunt. Tales sunt, qui relabuntur. Jos. 4. 18. *reversa sunt aquæ ad alveum suum & siccabant, sicut antè consueverant.* 3. Christi. Rom. 6. 9. *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur; mors illi ultra non dominabitur.* Did. Niss. ser. 2. Resurr. §. 6.

Beatus, qui habet partem in Resurrectione prima. Apoc. 20. 6. Prima illa est, quam Dominus enuntians Judæis: *Amen, Amen, inquit Joan. 5. 25. quia venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent.* Hac resurrectione mulier hæc prima (Magdalena) omnia respiravit: quia, cum esset *in civitate peccatrix*; scētentior malæ famæ putoribus; quam fuerat frater suus Lazarus corpore; quadrivanus audivit in monumento malo consuetudinis vocem Filii Dei; & quia audivit, protinus exivit. Secunda resurrectio corporum est. S. Rupertus l. 14. in c. 20. Joan. Sicut sunt duæ mortes, altera animæ, & altera carnis. *Beatus, qui habet partem in resurrectione prima.* Id. de oper. Spir. S. l. 4. c. 4. Cum homo peccat, anima moritur: quia à vita, Deo, deseritur; & in corpore, quasi in sepulchro sepelitur. Cum verò per poenitentiam ad Deum, qui est vita, redit, quasi à morte resurgit. S. Anselmus in Elucidario. Quoties homo voluntariè peccat, moritur: ac verò si gemit ex corde, ipsumque verè poenitet deliquisse, resurgit. Laurent. Just. l. de cont. Mundi c. 12.

Num. 2.

Pascha.

Nota quadruplex Pascha. Primum in Ramesse, quod est in sinibus Egypti. Ex. 12. Secundum in deserto ad montem Sinai. Num. 9. Tertium trans Jordanem in Galgalis. Jos. 5. Quartum in Jerusalem, quod fecit Josias. 4. Reg. 23. Primum est gratiæ justificantis; secundum poenitentia purificantis; tertium justitiæ promoventis, sive perficientis; quartum gloriæ indeficientis. Hugo Card. in Num. c. 9.

Erat proximum Pascha, dies festus Judæorum. Joan. 6. 4. Tunc enim præcipuè confluunt homines ad confessionem, & transeunt de vitiis ad virtutes. Et dicitur *Pascha dies festus Judæorum*, quia soli Judæi, id est confitentibus peccata sua, faciunt istum transitum, de membris diaboli, in corpus Christi, de culpa ad gratiam, de vitiis ad virtutes, de servitute diaboli in libertatem regni, de exilio vitæ præsentis ad patriam æternæ felicitatis. Hugo Card. hic.

Pascha Hebraicè *transitus* dicitur, vel *profectus*: scilicet, quia per hoc mysterium de pejoribus ad meliora transitur. Bonus transitus est, transire de peccatis ad justitiam, de vitiis ad virtutes, ad infantiam de senectute. S. Maximus hom. 4. in festo Pascha.

Quis est ergo, qui Pascha in spiritu celebrat; qui de vita, & mala consuetudine, in novæ devotionis statum resurgit. Thom. Kemp. conc. 22. de Paschate.

Num. 3.

Flores, lilia.

Pro his, qui commutabuntur. Ps. 44. Aliis Interpretes habent; *pro floribus.* Aliis *pro liliis.* Tunc enim flos prodit, cum hyems in ver mutatur: quod significat transitionem à malitia ad vitam ex virtute actam. At lili aspectus monet, ad quid oporteat mutationem fieri. Eum enim, qui mutatione splendidus effectus est, liquet ex atro, & tenebrioso, ad nivem transmutatum esse. S. Greg. Nyss. tr. 2. de inscript. Psalmor. c. 4.

Nardus mea dedit odorem suum. Cant. 1. 11. Nardus amara, est poenitentia, inquit Aponius. Unde, quasi ad literam, locum tunc factò suò exposuit S. Magdalena; dum in signum poenitentia unxit pedes Jesu accumbentis in mensa Simonis. Ac rursum attulit *alabastrum unguenti nardi pistici pretiosi*; illudque effudit in caput Jesu recumbentis in domo sua. Ideoque Magdalena hunc locum applicant. Origen. Nyss. Beda, & Aponius. Cornelius hic.

Flores apparuerunt in terra nostra. &c. Cant. 2. 12. Notantur hic tres actus poenitentia: contritio, per flores; confessio, per vocem

vocem turturis; satisfactio per putationem. Cornelius hic.

Flores apparuerunt in terra nostra. Cant. 2. 12. Serenitas conscientiae. Cant. 1. 15. *le-ctulus noster floridus.* Pœnitentia. Hugo Card. in Pf. 27.

Num. 4.

Arbor.

Facite fructum dignum pœnitentia. Matth. 3. 8. Arbor, est ipsa pœnitentia; radix, contritio cordis; rami, opera bona; folia, confessio integra; fructus, satisfactionis pœna. Hugo Card. hic.

Pœnitentia salutis est arbor: propterea, quod multos in peccatis mortuos resuscitat. S. Ephrem de pœnitentia.

Num. 5.

Vinum.

Potasti nos vino compunctionis. Pf. 59. 5. *Vinea facta est directio.* Il. 5. 1. Vinea Fidelis anima. Cant. 2. 13. *vineae florentes &c.* Hujus vineae est vinum pœnitentiae. Luc. 10. 34. *alligavit vulnera ejus fundens vinum.* S. Thom. Aqu. hic.

Gustavit aquam vinum factam. Joan. 2. 9. Fit miris, & oculis, modis quotidie mutatio in mentibus hominum; quæ præfertur mutationi aquæ in vinum, Sim. Cass. l. 5. c. 1. hic.

Num. 6.

Aves.

Sumet duos pullos columbarum. Levit. 12. 8. In columba enim habet gemitum pro cantu. S. Bonaventura l. 2. D. 2. Epiph.

Similis factus sum pellicano solitudinis. Pf. 101. 7. Homo pœnitens est pellicanus solitudinis: qui pœnitentiâ, sicut pellicanus sanguine, pullos, opera à serpente Inferni venenata, resuscitat. S. Vinc. Ferr. l. 5. de S. Dominico.

In lege erat statutum, ut divites mulieris purgandæ, in Sacrificio darent agnum; pauperes verò duas columbas immolarent. Per agnum vitæ innocentia; per turtures verò mercentium designatur pœnitentia. Quia ergo non possumus Deo offerre agnum innocentia, offeramus turtures pœnitentia. S. Honorius Augustod. l. in Purif. Mariæ.

Num. 7.

Numeri.

Principem super quinquaginta. Il. 3. 3. Quinquagesimus numerus semper refertur ad pœnitentiam; princepsque pœnitentium, & caput eorum, qui salvantur per pœnitentiam, Christus est. Unde & David in quinquagesimo numero Psalmum scribit pœnitentiæ. S. Hieron. l. 2. hic.

Discubuerunt in partes per centum, & quinquagenos. Marci. 6. 40. Oportebat enim eos, qui requieturi erant in Jesu cibariis, aut esse in ordine centum, qui numerus sacer est, ac Deo, propter unionem, consecratus; aut in

ordine quinquaginta; qui numerus continet remissionem, iusta mysterium Jubilæi. Origenes p. 2. hic.

Sede citò, scribe quinquaginta. Luc. 16. 6. Novimus, quod sedere humiliationem, citò festinationem, scribere firmitatem, quinquaginta pœnitentiam, designet &c. S. Bernardus D. 10. Pent.

Num. 8.

Mors.

Dominus mortificat &c. 1. Reg. 2. 6. Occidimur quodammodo, cum definimus esse, quod fuimus: novò enim pietatis genere in uno, eodemque homine impius, & adulter, occiditur; ut misericors renascatur, & castus. Fornicator, & ebrius, extinguitur; ut continens, & sobrius, procreetur. Sic ergo mortificat Dominus, ut vivificare faciat. S. August. l. 17. c. 4. de Civit.

Veniat mors super illos. Pf. 54. 16. Hoc spiritualiter accipiendum est: quia more suo, emendationem magis, quam consumptionem, venire postulat inimicis. Mors enim dicitur vitæ finis: & qui in meliorem partem convertitur; occasum prioris conversationis merito reperisse judicatur. Cassiodorus hic.

Pœnitentia, per quam homo moritur peccatis, assimilatur morti corporali. Mors, juxta Isidorum, septem utilitates inducit. *Prima:* potentiam tyrannorum absolvit: sic pœnitentia solvit potentiam dæmonum, quam habent super animam propter peccatum. *Secunda:* voluptatibus, & peccatis, finem imponit: sic pœnitentia per mortificationem. *Tertia:* mors est terminus omnis miseria: pœnitentia peccatum excludit, miseria causam. *Quarta:* mors est confirmatio gratiæ: pœnitentia, dum à culpa per firmum propositum præservat. *Quinta:* mors est acquisitio veniæ. *Sexta:* mors est reparatio innocentia: pœnitentia restituit merita; multi etiam ferventer pœnitentes æquiparant, vel superant, in merito, vel gratia, multos innocentes. *Septima:* mors est collativa æternæ felicitatis. Geminiani l. 6. c. 54.

§. II.

Varia alia Symbola.

Ex Veteri.

Viditque scalam. Gen. 28. 12. Scala, quam vidit erectam in cœlum, est pœnitentia; per quam ad cœlum ascendit. Huic scalæ Dominus innixus est: quia pœnitentes expectat, & vocat. Angeli ascendentes, & descendentes, sunt cogitationes pœnitentium; quæ ad pœnas Inferni descendunt; nunc ad paradisi gaudi ascendunt. Hugo Card. in Sap. c. 10. Quid per scalam significatur, quam vidit vir plenus gratiâ, Dormiens super petram, id est, super Christum; qui dicitur est petra, quasi firma, & solida, nisi pœnitentia? Hujus gradus sunt contritio, confessio, & satisfactio. Hæc incipit in terra; sed perducit ad cœlum, imò ad ipsum Dominum, quem desuper vidit innixum. S. Bonaventura l. 5. de Adv.

Nequa-

Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel. Gen. 32. 28. Qui non solum Jacob, verum etiam Israël, veraciter dici, vel esse, vult; similiter in fortitudine sua, id est, in fide sua, dirigitur cum Christo, magno consilii Angelo; & invalescat ad Angelum hunc: videlicet & agendo pœnitentiam, & faciendo dignum pœnitentiæ fructum. Nam quod ait: *& confortatus est, subjungens flevit, & rogavit eum;* Of. 12. 4. rectè dicas de fortitudine pœnitentium: quia revera fortes sunt, flendo instant, & rogando perseveranter remissionem peccatorum; juxta illud: *a diebus Joannis regnum celorum vim patitur.* In Bethel lustratus est, quod interpretatur *domus Dei.* S. Rupertus l. 5. in Of. c. 12. 1.

Die tertiò, quando gravissimus vulnèrum dolor est. Gen. 34. 25. Sic se habet dæmon in circumcissione pœnitentiæ; quæ tribus constat diebus: primus est contritio, secundus oris confessio, tertius satisfactio. Et hoc tertiò die plus nos hostis aggreditur. Diez conc. 4. in festo Corp. Chr.

Non sine mysteriò undecim velis cilicinis tabernaculum desuper operitur. Ex. 26. 7. quòd reum esse ostendat totum Mundum Deo ac sub pœnitentia degere. S. Prosper Aqu. de promiss. &c. p. 2. c. 2.

Facies & labrum aneum &c. Ex. 30. 18. Quod potest exponi de pœnitentia; quæ dicitur mare, pro amaritudine contritionis, labrum pro confessione. Dicitur etiam *aneum* pro constantia, & fortitudine, in labore satisfactiois. Illud labrum ponitur inter tabernaculum, & altare. Altare est Ecclesia militans; in qua nos debemus offerre Deo prius lotos per pœnitentiam. Rom. 12. 1. *obsecro vos &c.* Tabernaculum est vita æterna, sive cœlestis patria: quod nequaquam transferri poterit, ut dicitur If. 33. 20. Qui ergo à militante Ecclesia voluit ire ad triumphantem; oportet, quòd per mediam transeat pœnitentiam: hæc enim est via. Aqua ponitur in labro; quando pœnitentia fit cum lacrymis, vel cum gratia. Tunc Aaron, & filii, debent lavare in eo manus, & pedes. Ex. 30. 19. id est, peccata operis, & affectionis, per pœnitentiam diluere; maxime quando ingressuri sunt tabernaculū testimoni. Ità & nos oblaturi, & reddituri Deo animas nostras in morte, tanquam thymiama redolens suave, debemus prius animam à peccatis omnibus abluere. Hugo. Card. in c. 5. Joan.

Vesper finis est diei, & initium noctis: sic & pœnitentia finis est vanæ lætitiæ, & principium tristitiæ salutaris. Vid. Beda in cap. 15. Levit.

Dies primitivorum, quando offeretis novæ fruges &c. Num. 28. 26. Dies primitivorum, status pœnitentium est, qui primitias bonæ vitæ offerunt: novæ enim fruges, novæ virtutes sunt. S. Bonaventura l. 1. in Vigil. Nat. D.

Sicut transitus prior Hebræorum, quòd Duce Moyse, transferunt mare rubrum, Jos. 4. 24. 25. representat Baptisum; sic posterior, quòd, Duce Josue, transferunt Jordanem, figurat

Polyantbea Sacra. Tom. II.

rat, pœnitentiam. Et sicut Hebræi, post transitum Jordanis, celebrarunt Pascha; sic post pœnitentiam sumitur Eucharistia. Præterea *Jordanis* idem est, quòd *fluvius iudicii.* Talis est pœnitentia; in qua pœnitens est accusator sui; & Sacerdos iudex. Sicut *Jordanis conversus est retrorsum;* sic pœnitens vitam commutat. Sicut Hebræi transitò Jodane cum Chananæis assidue bella gesserunt, donec, iis expulsi, terram possederunt; sic & nos, post mutationem vitæ, assidue cum vitis consigramus oportet. Cornelius hic.

Est pœnitentia una munitissima civitatum, quas Dominus Moyse mandavit segregari in salutem fugitivorum. Num. 35. 11. Deut. 19. 2. Jos. 20. 2. 21. S. Laurent. Just. lib. 4. de casto com. c. 7.

Novacula non ascendet super caput ejus. 1. Reg. 1. 11. De ipso Domino intellige: ipse enim solus, quia sine peccato vixit in carne, omnes dies vitæ suæ Domino datas, nil in se omnino, quòd pœnitendo refecaret, invenit. Ven. Beda hic.

Veni scissâ veste &c. 1. Reg. 4. 12. Scindebant vestes, quando Deum per pœnitentiam ad misericordiam flectere nitentur. Ut Jos. 7. 6. Achab 3. Reg. 21. 27. Josias 4. Reg. 22. 11. Mardocheus Esth. 4. 1. Joel 2. 13. *scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Mendoza hic.

David ascendebat olivum olivarum - sed & omnis populus &c. 2. Reg. 15. 30. Via olivæ pœnitentia est: per pœnitentiam enim venit ad misericordiam. Per hanc viam incedere debent, qui volunt sequi David, id est, Christum. Oliva exterius in cortice amaritudinem habet; sed intus in fructu habet dulcedinem: sic pœnitentia amara est; sed fructus ejus dulcis. Hugo Card. hic.

Eccè currus igneus. 4. Reg. 2. 11. Currus igneus Eliæ pœnitentiam significat: quæ debet esse ignea per amorem; cujus sunt quatuor rotæ, contritio, satisfactio, confessio, restitutio. S. Bonaventura l. 2. D. 4. Adv.

Lavit in Jordane septies - & restituta est caro ejus, sicut caro pueri parvuli. 4. Reg. 5. 14. ut significaret, eos, qui scelera abjiciunt, in puerorum vigorem renovandos. Mendoza in 1. Reg. 13. 1. Annot. 13. Sect. 1.

Fel valet ad unguendos oculos. Tob. 6. 9. Cœcitas animæ humanæ curatur felle, id est, amaritudine pœnitentiæ: nullum enim tam grave peccatum est, quòd non cordis amaritudine abstergatur; & quòd non fletibus deleatur. S. Bonaventura serm. 41. D. Quinquag. Inter cœtera, quæ animam illuminant, est amaritudo pœnitentiæ. S. Thom. Aqu. D. Quinq.

Job interpretatur dolor, sive ululans; & signat pœnitentiam dolentem de peccatis suis. S. Bonaventura serm. 7. D. infra Oct. Nat. D.

Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui &c. Job. 6. 2. Peccata trahunt ad Infernum; sed calamitas pœnitentiæ præponderans elevat ad cœlum. Hugo Card. in c. 4. Gen.

Mmm

Car-

Carbones succensi sunt ab eo. Psal. 17. 9. Peccatores dicit, qui velut carbones mortui in Mundi istius cœcitate tenebantur; sed iterum pœnitentiâ inflammante reviviscunt; & ex mortuis prunis vivi incipiunt esse carbones. Cassiodorus hic. Lem. *Afflante micamus.* Picinelli.

Vox Domini super aquas. Ps. 28. 3. Baptismus. *Vox Domini in virtute:* Confirmatio. *Vox Domini in magnificentia:* Eucharistia. *Vox Domini confringentis cedros.* Pœnitentia. &c. S. Vinc. Ferr. l. 1. Dom. Oculi.

Confitebor tibi in cithara. Ps. 42. 4. id est, sic faciam pœnitentiam, ut tu Deos glorificeris in operibus meis. Cithara enim significat pœnitentiam: quia sicut cithara extendit chordas; sic & pœnitentia debet extendere omnia membra hominis pletrô præceptorum; ut singula membra castigentur, Hugo Card. hic.

Inscriptio Ps. 95. *Quando domus adificabitur post Captivitatem. Cantate Domino canticum novum.* Ps. 95. S. Hieron. felix pœnitentia! licet rueris; tamen, si egeris pœnitentiam, nova domus Dei diceris. Nova domus novum meretur canticum. Arcones in II. 1. 18.

Fustorum semita, &c. Prov. 4. 18. Aurora vapores resolvens ex iis rorem omnibus optatum producit: unde dicitur aurora, quasi aurora rorans, vel quasi aurea hora. Sic pœnitentia, quâ peccator fit justus, adducit ei rorem doloris, & lacrymarum, fœcunditatem bonorum operum. S. Gregor, in Cant. 6. Ecclesia in incipientibus est aurora: quia è tenebris peccatorum luce sanctæ operationis splendere incipiunt. Cornelius hic.

Oritur sol. Ecclæ 1. 4. in Baptismo, & occidit per peccatum: & ad locum suum revertitur per pœnitentiam. Hugo Card. hic.

Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant. Ecclæ 1. 7. Qui è virtute in vitium, atque malitiam, decidunt; torrentium, ac fluminum, more ex alto quodam loco in præceptis, concavumque, ac terrefre, delabuntur. Possunt tamen, & cum ad ipsum jam vitium pervenerint, resipiscere, ad pœnitentiam redeuntes; & per conversionem iterum reverti in viam, quæ perducit ad paradysum, unde homo primus erectus fuit. Olympiodorus hic.

Tempus plangendi. Ecclæ 3. 4. Est tempus pœnitentium, peccata per petra plangentium. S. Bonaventura in Ps. 118.

Adolescentule dilexerunt te. Cant. 1. 2. Adolescentulas dicit animas, quæ in Christo renata, sordes veteris, hominis abjecerunt. V. Beda l. 2. hic.

Capilli tui sicut greges caprarum. Cant. 4. 1. Quia capilli imperfectissimæ sunt corporis partes, aptè representant peccatores pœnitentes; quos Ecclesia non rejicit. Et assimilantur gregibus caprarum; quæ etiam sunt Symbolum peccatorum. de Ponte hic l. 7. Exh. 2. §. 1.

Pro arc afferam aurum &c. II. 60. 17. In instauratione spiritualis Jerusalem ligna vertentur in as, & lapides mutabuntur in ferrum: id est, bruti quondam, & insensibiles, homines, in eas materias mutabuntur; quæ utilitatem aliquam præbeant civitati. Ipsumque as, & ferrum, per augmenta virtutum, in aurum, argentumque, mutabuntur: ut nequaquam utilitatis speciem, sed pretium quoque habeant, & decorem. S. Hieron. hic.

Tonde tuam capillum Jerem. 7. 29. Cur sanctimoniales tondentur? quia altumunt pœnitentiæ lamentum, Religionem intrantes. S. Thom. Aqu. in 1. Cor. 11. Lect. 2.

Omnem, super quem videritis Thau, nè occidatis. Ezech. 9. 6. Thau est ultima in alphabeto, & formam crucis habet; unde significat finalem pœnitentiam, quæ solvat. Hugo Card. in c. 13. Marci.

Ex Novo.

Noli timere, accipere Mariam conjugem tuam. Matth. 1. 20. id est, amaritudinem pœnitentiæ. Accipienda enim est pœnitentia in uxorem: quia pulchra, quia dives, quia nobilis: soror enim Regis cœlorum est. Hugo Card. hic.

Invenerunt puerum cum Maria. id est, amaritudine pœnitentiæ. Matth. 2. 11. Hugo Card. hic.

Aurum, thus, & myrrham. Matth. 2. 11. Aurum offerunt Doctores, sapientiam; thus Martyres, & Confessores; myrrham pœnitentes peccatores. Euseb. Emis. in Epiph. D.

Per aliam viam reversi sunt. Matth. 2. 12. Auth. Imp. qui à diabolo venit ad Deum, nunquam debet per illam viam ambulare; per quam venit ad diabolum. Venisti per viam fornicationis, ambula de cætero per viam castitatis &c. S. Gregor. hom. 10. qui à paradisi gaudiis per delectamenta discessimus, ad hæc per lamenta revoemur. Cornelius hic.

Ad Joannem, ut baptizaretur ab illo. Matth. 3. 13. JESUS nullâ indigens pœnitentiâ, quia absque peccato omni erat; sicut suscepit carnem similem carni peccati, ita suscepit baptismum similem baptismo pœnitentium; fecit professionem similem professioni pœnitentium. Cajetanus hic.

Ascendente eo in naviculam. Matth. 8. 23. Hæc navicula est pœnitentia, propter officium transfretandi. Navicula dicitur: quia pœnitentia nostra modica est respectu peccatorum, quæ facimus; & poenarum, quas meruimus; & præmiorum, quæ expectamus. S. Vinc. Ferr. l. D. 3. Epiph.

Cum appropinquassent Jerusalem &c. Matth. 21. 1. Via Christi in ingressu Jerusalem. 1. manè recessit de Bethania; à qua recedimus, quodocumque præcepta Dei violamus. 2. venit Bethphage, quæ interpretatur domus oris. Ecce confessio, postquam recessisti de Bethania: Bethphage erat villa Sacerdotum. 3. Ascendit in montem Oliveti: ecce operis satisfactio. 4. descendit in vallem Josaphat, quæ interpretatur Domini iudicium: ecce debitorum remissio. 5. venit in Jerusalem, quæ interpre-

interpretatur *pacifica*: ecce hic injuriarum remissio. Id. f. 3. D. Palm.

Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme. Math. 24. 20. Hyems est status culpæ; ver est status pœnitentiæ. Cant. 2. 11. *hyems transiit.* Estas status perfectæ justitiæ: Autumnus mortis. Tunc enim colligit homo, quæ seminavit. Hugo Card. in c. 35. Gen.

Scitis, quia post biduum Pascha fiet. Matth. 26. 2. Christus in Passione sua typum gerit peccatoris, & pœnitentis. Hugo Card. hic.

In syndone munda. Matth. 27. 59. Jesum involvit, qui purâ mente eum suscipit. Linteum lavatur, torquetur, siccatur. Jer. 4. 14. *Sava è militia cor tuum.* Per opera pœnitentiæ debes torqueri; per fervorem divini amoris à carnalium desideriorum humore desiccari. S. Bernardinus t. 2. f. 57.

Quidam ex eis de longe venerunt. Marci 8. 3. De longe ad Christum veniunt; qui ex peccato mortifero per pœnitentiã iter veniunt. Est enim peccatum regio illa longinqua, in quam prodigus, patrem deserens, proficiscitur. Luc. 15. 13. S. Gregor. hom. 21. in Ezech. quanto quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Domino longius recessit. Idem, qui de longe veniunt, in via deficiunt: quia Divini verbi lectione, & meditatione, se non pascunt. Pœnitentiã quidem agunt; postea verò nihil de æternis flammis, nihil de perpetuis cœli gaudiis, nihil de Christi Passione, morte, Judicio, cogitant. Barrius t. 2. l. 10. c. 18. hic.

Tollat crucem suam. Marci 8. 34. Crux pœnitentiæ, ad instar crucis Christi, habet quatuor brachia, id est, quatuor opera pœnitentiæ. Brachium inferius, quod figitur in terra, significat cordis contritionem; quæ est secreta intus in corde. Brachium superius est emendandi propositum, juxta voluntatem Dei vivendo; aliè ad Deum respiciendo. Dextrum significat confessionem oris, Sinistrum injunctæ pœnitentiæ observationem. S. Vinc. Ferr. f. 1. D. 2. post Oct. Epiph.

Offerebant ei parvulos. Marci 10. 13. Parvuli sunt pœnitentes, qui, more parvulorum, sæpe plorant. S. Bonaventura f. 1. D. 18. Pent.

Muli in navitate ejus gaudebunt. Luc. 1. 14. Tunc nascitur Joannes, cum peccator pœnitentiã agit. *Gaudium erit in celo super uno peccatore pœnitentiã agente.* Luc. 15. 10. Hugo Card. in Luc. hic.

Consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer. Luc. 2. 21. Toties circumcitur homo, quoties post peccatum ad pœnitentiã redit. Euseb. Emis. in Circum. D.

Post triduum invenerunt illum. Luc. 2. 46. Post triduum pœnitentiæ, id est, contritionem, confessionem, satisfactionem, invenitur Jesus. Hugo Card. hic.

Vidit duas naves. Luc. 5. 2. Duæ naves, sunt duæ viæ eundi ad Deum, scilicet innocentia, & pœnitentia. Et qui non fuerit ingressus in unam istarum, peribit in mari. Hugo Card. hic.

Nemo mittens manum suam ad aratrum. Luc. 9. 62. Aratrum est pœnitentia: quia, sicut aratrum frangit terram ad fructificandum; sic

Polyanth. Sacr. Tom. II.

pœnitentia colit terram corporis; ut faciat fructus spirituales. Non respicere retro, potest intelligi dupliciter: scilicet redire ad officium, quod includit, vel inducit peccatum; vel ad officium, quod includit, vel inducit peccatum; vel ad officium, quod fieri potest sine peccato. S. Vincent. Ferr. f. 4. Pasch.

Cum invenerit eam (ovem) Luc. 15. 5. Perditur rationalis ovis, cum à Divinis præceptis longius separatur: invenitur autem, cum per pœnitentiã respiscit, & in illis reponitur. Euthymius Zigabonus hic. Quilibet peccator agens pœnitentiã, est ovis centesima; quæ post multos errores humeris pii Pastoris reportata est ad ovile. Hæc est drachma perditâ, sed inventa: hic est filius prodigus: hic est Lazarus ulceribus plenus: hic est Lazarus quatuoriduanus: hæc est focrus Petri febricitans: hæc est mulier peccatrix: hæc sanguinaria: hic est servus Centurionis: hic est publicanus: hic est pullus asinæ. Hugo Card. in c. 10. Levit.

Si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam? Luc. 15. 8. Drachmam Evangelicam, quam acceperas, & quæ dives effectus fueras, ignaviâ tuâ perdidisti. Pœnitentiã lucernam accende; inclina te diligenter. S. Greg. Nyss. or. in eos, qui acerbius alios judicant.

Est autem Jerosolymis probatica piscina. Joan. 5. 2. Piscina est pœnitentia, quæ lavamur à sordibus peccatorum. Angelus autem est Doctor, qui movet aquam, dum movet à compunctionem, vel ad lacrymarum gratiam. S. Bonaventura f. 2. D. 4. Pent.

Vidit (Petrus) cælum apertum Erc. Act. 10. 11. Quæ visio pœnitentiã signat, & mortificationem: quæ, si perfectæ sint, homini aperiunt cælum, eumque à pœnis Purgatorii liberant. Linteum ex lino conficitur: hoc autem aquis mergi, tundi, decorticari, & torqueri, debet; ut linteo conficiendo aptetur. In eum modum multis tribulationibus probari necesse est, ut pœnitentiã perfectæ meritum, atque peccatorum expiationem, assequamur. Per bestias illas peccata designantur; quæ nos in belluas convertunt: in quadrupedia concupiscentia carnis; in serpentiã, terram comedentia, concupiscentia oculorum; in volatilia verò superbia vita, animas transformat. Illas bestias occidere jubetur Petrus, & post eum Sacerdos, potestate sibi traditâ: quæ cunctis cælum claudunt, & aperiunt. Nec occidunt illas belluas tantum, & monstra peccatorum; sed & ea comedunt. Os. 4. 8. *peccata populi mei comedent.* Solum pilces decrant: quia ad Sacrificia non adhibentur, nec maculantur: quia muti, & elingues, procul ab eo mysterio arcentur. Doultreman de am. l. 4. c. 3. Sect. 8.

Petrus dormiens. Act. 12. 6. Signat peccatorem in carcere peccati dormientem *inter duos milites*, scilicet Angelum bonum, & malum. Una catena, est longa consuetudo; secunda, mala societas. Primum opus illuminatio; secundum percussio, id est, compunctio; Tertium erectio Petri; id est, propositum; quartum *cecidit catena*, confessio; quintum *præcinctio*, restitutio; sextum, *calceæ te*, injuriarum

Mmm a

juriarum

juriarum remissio; septimum, *circumda tibi vestimentum*, hoc est, honesta conversatio. S. Vinc. Ferr. f. de S. Petro ad Vinc.

Vincenti dabo edere de ligno vite. Apoc. 2. 7. Rupertus: vincere, est poenitentiam agere; qua illi Episcopo suasa: per poenitentiam enim vincit homo hostes suos, seipsum, carnem omni hoste crudeliorem. Sylveira hic.

Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis. Apoc. 3. 5. Anselmus, Beda, Haymo &c. victores intelligunt poenitentes; qui à culpis resurgunt. Ramirez in ep. 5. hic.

Collyrio inunge oculos. Apoc. 3. 18. Collyrio poenitentia inunge oculos tuos, ut intellectus purgetur ab errore, vel ignorantia. Albertus M. apud Sylveira hic. Collyrium est amaritudo poenitentia qua per compunctionem clarificat sensus cordis; sicut collyrium per effusionem lacrymarum oculos carnis. Richard. à S. Vict. l. 1. hic.

Ex Patribus, & aliis.

Eam tu peccator ita invade, ita amplectare, ut naufragus alicujus tabula fidem. Hæc te peccatorum fluctibus merum prolevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit. Tertull. l. de poenit.

Myrrha, & aloë, propter suam amaritudinem, significant poenitentiam; per quam aliquis in seipso Christum conservat absque corruptione peccati. S. Angul. l. 3. de doctr. Chr. c. 2.

Avertere, avertere ab Occidente convertere; ad Orientem. Occidunt ibi peccata, oritur inde justitia; in occidente vetus, in Oriente novus: in occidente Saulus, in oriente Paulus. S. Angul. l. 14. inter 50.

In faciem cadere, est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, easdemque poenitendo deslere. Retrò verò, quò non videtur, cadere, est ex hac vita repente decidere, & ad quæ supplicia ducatur, ignorare. S. Isidorus c. 31. in Gen.

Merito tamen Sacramentum quòque poenitentia dici potest balneum lacteum. S. Gregor. in c. 5. Cant.

Operam demus, ut in poenitentia præsidio consistamus, fugamusque lac è sanctis ejus uberibus; quibus humanas destruxerat infirmitates. B. Ilaías Abb. or. 25.

Poenitentia est sicut aqua calida contra canes; & maximè quantum ad contritionem: sicut enim cum aqua calida ejicitur canis de coquina; sic cum aqua lacrymarum ejicitur diabolus, & peccatum, de anima. &c. S. Bonavent. diat. Sal. 2. c. 1. Vide ibidem plura.

Sicut puer rumpit vestem veterem, ut citius habeat novam: sic bonus poenitens lacerat faccum carnis; ut citius animæ suæ acquirat stolum felicitatis æternæ. Pl. 29. 12. *concidisti faccum meum, & circumdædisti me lino*. Id. ib.

Dolor Christi in cruce pendens significat contritionem, quam debemus habere de peccatis in morte, inclinando caput in confessione. S. Vinc. Ferr. f. de exalt. S. Cruc.

Mare significat poenitentiam: quia sic dicitur, quasi amarum. Contritio, propositum,

confessio, satisfactio, amara sunt. Id. f. 1. D. 4. Quadr.

Boni faciunt hic vigiliam in lectu poenitentia; & ideo perveniunt ad festum jucunditatis æternæ. S. Bernardinus f. de cont. Mundi.

Poenitentia similis mari. 1. quia mare est nausea, & vomitus ciborum provocativum: sic poenitentia generat peccati abominationem: nam quod prius peccatori videbatur pretiosum, & delectabile, videtur poenitenti ignominiosum, abominabile. 2. mare sordes rejicit, & se purgat; cadavera non tolerat: sic poenitentis confessio, mare dura, & pretiosa, generat; licet sit liquidum: ut patet in gemmis, & lapidibus. Sic poenitens, licet mollis, & liquidus in lacrymis; tamen durissima tolerat in Satisfactione. 4. mare non transgreditur litus; nec poenitens præcepta. Geminiani l. 1. c. 60.

Cereus in inverfo candelabro deficiens. *Veritas & vivet*. Bovius.

§. III.

Poenitentiam quanto opere Deus, & Christus, expetat.

Ex Veteri.

Fas tibi aram. Gen. 6. 14. Volebat illos, qui tam graviter peccaverant, fabricatione Arce admoneri, ut secum cogitarent, quæ fecissent; respiciendoque indignationem non experirentur, S. Chryst. hom. 24. in Gen. Centrum annis fabricata Arca: ut homines aspectu longò illius Arce, ad talem usum deputatæ, magis timerent; & à suis peccatis, per aspectum Arce, & ad prædicationem ipsius Noë, resisterent. S. Thom. Aqu. in c. 7. Gen.

O si quis mihi daret potum aquæ &c. 2. Reg. 23. 15. Sitio, ait, aquam Bethlehem! & continuo tres eorum irrumpunt per medios hostes, eique potum desideratum deferunt. Modò sitit David noster conversionem nostram: irrumpamus per medios hostes, omnes vincamus difficultates; ut ei pareamus. In hoc, ait Eliezer Gen. 24. 14. agnoscam, quæ sit futura sponsa Isaac? cui petiero potum, & illa libenter dederit. In hoc agnoices, o anima; an futura sis sponsa Christi, si potum petenti tibi libenter das. Osorius ser. 6. D. 3. Quadr.

Extendi manum meam. Prov. 1. 24. Manus extendere, est pacisci, & reconciliari, volentis. q. d. Deus: ego injudicium, mihi à vobis illatarum, oblitus, prior extendi dexteram, invitans vos ad reconciliationem meam; ut quo vos vicissim, in signum renovati fœderis, dexteram vestram meæ consecraretis. At vos me, extendentem manum, respulistis; vestram extraxistis. Cornelius hic.

Surge amica mea &c. Cant. 2. 19. Surge à delicto, & veni in fiduciam; surge à peccato, & veni ad poenitentiam; surge ab infidelitate, & veni in fide. Id. ib. hic.

Ostende mihi faciem tuam. Cant. 2. 14. id est, converte ad me faciem tuam, quam à me averfam habes: averte illam à terrenis rebus, quas plus, quam me, amabas; ut deinceps tu me respicias, & ego te, de Ponte hic Exh. 26 §. 2.

Aperi

Aperi mihi foror mea &c. Cant. 5. 2. Po-
nit his verbis rationes ad suadendum peccato-
ri, ut aperiat Deo. Cùm ait, *aperi mihi*, insi-
nuat, aperuisse peccatorem aliis; vel aperire so-
lere. Etenim ad januam cordis at etiam diabo-
lus pulsans; sed aliò modò, quàm Deus. Si-
cut enim in palatiis regum sunt plures ordi-
nes portarum, antequam perveniatur ad secre-
tum cubiculum; ità cor hominis plures con-
tinet ordines portarum. Quinq; sensus sunt
portar; magis intima, sensus interni, phanta-
sia, appetitus sensitivus; per quas etiam in-
trat diabolus; & vehementius pulsât, cùm fœ-
das cogitationes excitat, & immittit: quas Da-
vid Pf. 77. 49. *vocat inmissiones per ange-
los malos*. Et sic *misit diabolus in cor Juda*,
traderet Christum. Joan. 13. 2. Diabolus qui-
dem immisit; sed Judas admisit, & consentit:
& ideo ad possidendum cor ejus intravit; cùm
tamen illam inmissionem potuisset repellere.
Univerſa enim potestas diaboli non amplius se
extendit; quàm ad pulsandum per has januas:
at ulterius est intimior cordis janua ad superio-
rem Spiritus partem; ad quam solus Deus im-
mediate pulsare potest, immittendo in intelle-
ctum, vel voluntatem, piis cogitationes, &
serventes affectus. *Aperi mihi* q. d. aperuisti
januam cordis tui diabolo, & hosti, qui tuum
suscipit interitum; cur ergo non aperis mihi
Creatori, Redemptori, Protectori tuo, qui tuam
cupio salutem. Aperuisti tyranno; aperi
legitimo Domino: aperuisti lupo, qui intravit,
ut perderet, & mactaret; aperi proprio Pastori,
qui intrare cupit, ut te pascat, & tueatur. *Ape-
ri mihi foror mea* q. d. mille titulis es mea;
eisdem teneris aperire mihi. Non enim pul-
so ad januam alienarum domus, sicut diabolus;
sed propria. Facta es mea foror per Incarna-
tionem, amica per Passionem, quâ reconcilia-
vi te Deo; columba per missivum Spiritus S.
quam tibi merui; & tandem facta es immacu-
lata &c. de Ponte hic Ex. 8. 5. 1. Mirabilis
est hic Glossa Hebræorum edita à Galatino l. g.
c. 8. filij mei, aperite mihi aperturam unam
pœnitentia, sicut est foramen acis; & ego a-
periam vobis aperturas misericordiar, per quas
intrabunt quadrigæ, & currus. Cornelius in ep.
Jacobic. 5. 16.

Revertere. Cant. 6. 12. Non abs re quater
dicitur, ut revertatur; per veram scilicet cor-
dis contritionem, per integram confessionem,
per condignam satisfactionem, & tandem per
morum correctionem. de Ponte hic Exh. 8. 5.
1. Idcirco tam crebro ei *revertere* dicitur: ut,
etiam si conversa deliquerit, in desperationem
non decidat; sed à peccandi consuetudine spe
indulgentiar respiciat. S. Justus Orgelit. hic
Laboravi rogans. Jer. 15. 6. q. d. toties ro-
gavi, ut converteremini: laborassem, si possi-
bile fuisset. Isa. 43. 24. *præbui mihi labo-
rem in iniquitatibus tuis*. S. Thom. Aqu. in
Jer. hic. *Laboravi rogans*. Hebr. *laboravi
rogans, pœnitere*. Id est, laboravi rogans, &
invitans te per prophetas; ut pœniteres, tég;
converteres. Maldonatus vertit: laboravi pœ-
nitendo. Aut, ut Sanchez, miserendo q. d. sæ-
pius decrevi punire vos; sed ductus pœniten-

tiâ & misericordiâ, revocavi sententiam; spe-
rans vestri emendationem, sed nihil obtinui,
tantum fatigavi me. Cornelius hic.

Ex Novo.

Intrate per angustam portam. Matth. 7.
13. Inter vias, quas nos docuit Christus, prima
est pœnitentia. S. Thom. Aqu. D. 23. Pent.

Venite ad me omnes, Matth. 11. 28. Nota:
clementissimum Jesum in probatica piscina un-
num tantum sanasse. Joan. 5. 5. In domo Phari-
sæi uni soli Magdalene pepercisse. Luc. 7. 47.
Ex omnibus adulteris unam solum, quam Ju-
dæi lapidare volebant, defendisse. Joan. 8. 7.
Ex latronibus uni tantum dixisse: *hodie me-
cum eris in paradiso*, Luc. 23. 43. Ac deni-
que ex omnibus divitibus soli Zachæo dixisse:
hodie domus hujus salus facta est. Luc. 19. 9.
His autem verbis, *venite ad me omnes*, cun-
ctos vocat. Diez. conc. 2. D. 20. Pent.

Et invenit eos dormientes. Matth. 26.
40. Quoties & redis ad nos, & invenis dormi-
entes; & tamen benignè suscipit nos. Venis
in secunda, & tertia, vigilia; sed beatus ille
servus, quem tunc in veneris vigilantem. Evi-
gila tandem, evigila, miserabilis anima; si
non amore, saltè timore. Drogo Ost. de sacr.
Pafs.

Tetigit loculum &c. Luc. 7. 14. Tangit lo-
culum, sistit portitores, & mortuum suscitavit;
dum suar visitationis tactu ad pœnitentiam
hominem reducit. Euseb. Emis. ser. 5. D. 4.
Quadr.

Adolescens, tibi dico, surge. Luc. 7. 14.
Hoc quotidie dicit Dominus unicuique pecca-
tori: surge, qui hactenus jacuisti in vitiis; sur-
ge ad pœnitentiam agendam. Haymo D. 16.
Trinit.

*Gaudium erit super uno peccatore pœni-
tentiam agente*. Luc. 15. 7. Non solum su-
per multis, sed etiam super uno. Id autem
ostendit, Deum vehementer sitire cujusvis
peccatoris pœnitentiam. Euthymius Ziga-
bonas hic.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. q. d. citò con-
vertere, & me potabis. q. d. tu sitis ad cul-
pam, & ego sitio te ad gratiam: tu sitis tu-
am damnationem; & ego tuam salutem. Hu-
go Card. hic.

Ego cibum habeo manducare. Joan. 4. 32.
ô inastimabilis nostri Salvatoris amor! flag-
rans in corde amorosi JESU! nam lassatus ex
itinere, æstu fervente, jejunos, & sitibundos,
jam horâ sextâ instante, sitiens vehementer,
non videtur bibisse, nisi mulieris sidem: &
quasi ex ejus conversione refrigeratus in ani-
mo, sitis sui corporis non curat angustias. S.
Bernardinus. t. 2. l. 31.

*Pro Christo legatione fungimur, tanquam
Deo exhortante per nos; obsecramus pro
Christo; reconciliamini Deo*. 2. Cor. 5. 20.
Singula verba multò pietatis nectare stillant.
Non quavis legatione Paulus pro Christo fun-
gitur, sed hac obsecrativâ: quasi Christus per
ministros suos quotidie obsecrator accedat.
Nec satis habet optimus Salvator monere,
suadere; sed rogat: Mediator enim est, &
pariter

pariter cum bono nostro sanguinis sui fructum sic carpit suavissimum. Ramirez in ep. 4. Apoc. 2. 21.

Ecce sto ad ostium, & pulso. Apoc. 3. 20. Suaserat Christus D. Episcopo poenitentiam; nè putaret, difficile fore, ut è tanto tepore in ferventem poenitentiam posset venire: paratissima gratiæ suæ auxilia ei ostendit, & pollicetur: idque sub figura hospitis benevoli; qui, ab alio durissimè expulsus, ad ostium anhelus perseverat; & sollicitè pulsans, admitti rogat: ut intrans veterem, exhibitio charitiorum epulò, redintegret amicitiam. Id hic in ep. 7. Ubi voces illæ Pl. 49. 12. *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terra.* Cur ergo, cum tua sint omnia, excubas ante hominis ostium; ut cœnes cum eo? Jactaret illud in veteri Testamento, quando Filium suum adhuc retinebat in folio gloriæ suæ: postquam verò dedit Filium; *etiam cum illo omnia nobis donavit*, ait Paulus Rom. 8. 32. Sed dicamus verius: antequam Verbum caro fieret, delicias poenitentia non plenè gustarat Deus: vescebatur enim angelorum amore; & licet ei apponerentur lacrymæ poenitentium, haud eis nutriebatur. At ubi descendit in hortum nostrum, & manducare cœpit panem doloris; lacrymarum ità captus est dulcedine; ut reversus in cœlum, suis ipse manibus abstergat omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Quibus non abundè refectus in terram revertitur, pulsat ostium; & defersens manna, lacrymas, & poenitentia fercula; esurit. Cur enim pulsat ostium? audi, quid præmittat: *amulare ergo, & poenitentiam age.* Apoc. 3. 19.

§. IV.

Poenitentia Deo grata, sacrificium, festum &c.

Tolle hircum pro peccato. Levit. 9. 3. Hircus est poenitentia, Hugo Card. hic.

Oblationem offerre per tempora sua. Num. 28. 2. Origenes legit; Offerretis mihi in diebus festis meis. Habet ergo Deus dies festos suos? habet: est enim ei magna festivitas humana salus, Quomodo putas, lætificat eum; cum is, qui fuerat impudicus, fit castus; & qui fuerat impius, efficitur pius. Istæ omnes singulorum quorumque conversiones, festivitates generant Deo. Origenes hic. hom. 23.

Manducemus, & epulemur. Luc. 15. 23. Commune convivium, communisque læticia Patri, filio, & servis, describitur: quia fructus Passions Christi in poenitente, materia est gaudii; non solum ipsi poenitenti, & Ecclesiæ Pastoribus; sed etiam ipsi Deò: perinde enim gratum habet, ac si ipse pasceretur. Cajetanus hic.

Erat dies festus Judæorum. Joan. 5. 1. Potius dies festus JESUS poterat vocari, quo paralyticus sanatur. Nullus enim dies solenior Deo, quam cum peccator à nequitia recedit. *Erat autem Sabbathum in die illo.* Quam verè Sabbathum in die! Non dixit,

Sabbathum erat dies ille; *sed Sabbathum erat in illo:* in illo enim die, quò peccator mundatur, verè Sabbathum Dei requies est. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. Sect. 1. obl. 1.

Non sic infans amator dilectam suam, amat; ut Deus poenitentem animam. S. Chrysof. hom. 22. ad pop. Antioch. Nihil est, quod Deum ità exhilaret; atque conversio nostra, atque à peccato ad virtutem regressus. Id. hom. 25. in Gen.

Nullà re perinde Deus delectatur ut hominis, propter quem omnis doctrina, atque omnia mysteria, concessa sunt, respicientia, & salute. S. Gregor. Naz. or. 39. in sancta lumina.

Peccavimus; agamus poenitentiam: millies peccavimus; millies quoque poenitentiam. De omni opere bono gaudet Deus; præsertim verò super anima poenitentiam faciente. S. Ephrem de variis tormentis Inferni.

Multiformis, & copiosa, est poenitentia; idèque varia ferculorum genera Deo apponit. Id. de poenit.

Festum excitat Deo poenitentia: quoniam & cœlum movet ad epulas; & Angeli utantur, dum poenitentia ipsos invitat ad prandium; cunctique cœlestes ordines epulantur, per poenitentiam sese recreantes. Id. ib.

DEL altare est poenitentia: nam per ipsam peccantes eum placant. Id. ib.

Celebritas bona, ac pulchra, & Deo grata, est poenitentia cum lacrymis, & à peccatis abstinencia, Deiq; cognitio, atque æternum bonorum desiderium. Id. s. in pretiosam, & vivificam Cruc. Dom.

Magni pretii sacrificium offerre, poenitentiam agite. Non enim reperitur malitia, quæ poenitentiam superet; nullum est virus, quod vim hujus mellis possit extinguere. S. Helychius Presb. or. in S. Andream Ap.

Tanta utilitas, tantæque gratia, poenitentia; ità ut Deo, præteritis facinoribus offenso, jamque justissimam poenam pro tantis criminibus inferenti, si dici fas est, quodammodo obstitat; & quasi inviti, ut ità dixerim, dexteram suspendat ultoris. Joan. Cassian. Collat. 20. Abb. Pinusij c. 4.

§. V.

Poenitentia cibis, potat, recreat, Christum.

Affer mihi duos hædos optimos. Gen. 27. 9. sic Ecclesia bona mater ex hædis id est peccatoribus. Marchantius D. 1. Quadr. Eucherius l. 2. in Gen. in omnibus scripturis hædi pro peccatoribus accipiuntur; carnes autem hædorum, ex quibus Isaac preparatus est cibus, peccantium intelligenda est conversio.

Messui myrrham meam. Cant. 5. 1. Metit myrrham: quia, ut ait Ambros. de bono mortis c. 5. delectatur eò, si quis mortificet peccatum suum obliteret culpam suam, sepe-liat iniquitates suas: myrrha enim est sepultura mortuorum, de Ponte hic Exh. 2. l. 3.

Sumes aurum & argentum; & facies coronas, & pones in capite Jesu filij Josedech Sacerdotis magni. Zachar. 6. 11. De JESU

verò

verò Redemptore, capienda verba nemo ambigit. Rupertus in Apoc. 19. 11. Imponuntur coronæ sumptō argentō, & aurō, à transmigratio- ne; sive ab iis, qui venerunt de Babylone: quia nobis proficientibus, & reversis ad meliora, per singulas virtutes nostras Dominus coronatur; imò nobis per virtutem pœnitentiæ coronatis, Salvator in singulis coronam accipit. Eadem habet S. Hieronymus hîc. Ramirez in ep. 3. Apoc. 2. 13.

Discumbente eò. Matth. 9. 10. Per corporale convivium, quod Christo Matthæus exhibuit, mysticè intelligitur spirituale convi- vium, quod ei in anima sua paravit, præben- do delicias cordis per hoc, quòd eum in ani- ma totò recepit affectu; aperiens ei osium mentis: de quo convivio ait Salvator. Prov. 8. 31. *delicia mee esse cum filiis hominum,* Dion. Carth. hîc.

Gaudet super eam magis quàm super no- nagesima novem. Matth. 18. 13. Non quòd absolute loquendo, peccator pœnitens melior, aut magis dilectus, sit, quàm multi iusti per- severantes in bono; imò comparando statum statui, meliores sunt innocentes, quàm pœni- tentes: sed hæc ideò dicta sunt; quia de pecca- tore pœnitente habet Christus quoddam spe- ciale gaudium. Id. hîc.

Lacrymis capit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Pharisei domum Christum intravit non accepturus Judaicos cibos, sed divinam mise- ricordiam largiturus, Nèque accubuit, po- cula saporata melle, floribus odorata, sumptu- rus; sed pœnitentis lacrymas ex ipsis oculo- rum fontibus poraturus. - Deus delinquentium gemitus esurit, sicut lacrymas peccato- rum. S. Chrysol. l. 93. - Venit, pietatis illa, non voluptatis, exhibitura convivium. De- nique & pœnitentiæ ponit mensam, fercula compunctionis apponit, panem doloris in- fert, potum lacrymis temperat in mensu- ra; & ad delicias Deitatis totam pulsat cor- dis sui, & corporis, symphoniam. Organi planctus dat clamorem, citharam per suspiria longa modulatur, gemitus aptat in fistulam: & dum pectus, ipsam conscientiam arguens, sæpe percudit; facit placitura Deo cymbala personare: dumque taliter apportat divinis oculis cibos; totas misericordiæ copias sic re- portat. Id. ib.

Da mihi bibere. Joan. 4. 7. Sitiabat spiri- tualiter conversionem scemine hujus, omnium- que animarum errantium. Dion. Carth. hîc.

Ego cibum habeo manducare. Joan. 4. 32. Hinc discimus, quanta sit erga homines chari- tas: quasi enim cibum suum putat perditorum hominum conversionem. S. Cyrill. Alex. l. 2. c. 103. hîc.

Meus cibus est. Joan. 4. 34. Hoc est, ut quàm plurimos ad me convertam, meosque Discipulos faciam, & amicos, omnes in me credentes: quorum bona opera, tanquam fru- ctus suavissimos virtutis, sponsum edit, hisque maximè lætatur. Philo Carpathius in c. 5. Cant.

Si manum ejus (Christi) tangere non pos- sumus, advolvamur pedibus: si non possumus

ad caput pervenire, saltè pedes ipsius lacrymis lavemus. Nostra pœnitentia unguentum Sal- vatoris est. Vide, quanta sit misericordia Sal- vatoris. Peccata nostra mali odores sunt; pu- tredo sunt; tamen, si agamus pœnitentiam, propter peccata si ploramus; peccata nostra putrida unguentum efficiuntur Domini. S. Chrysol. hom. 6. in c. 1. Marci.

Cibus ejus pœnitentia mea; & cibus ejus sa- lus mea: cibus ejus ego ipse. An non cinerem, tanquam panem, manducat: ego autem, quia peccator sum, cinis sum; ut manducer ab eo. Mandor, cum arguor; glutior, cum institutor; decoquor, cum immutor; digeror, cum transformor; unior, cum conformor. Bern- ardus l. 71.

§. VI.

Pœnitentia honoratur, fovetur, à Deo, & Christo.

Num. 1.

Figura, & Symbola.

Cumque immolaverit eum in loco, ubi solet maclari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est. Levit. 4. 24. Holocau- stum omnis sanctitatis, & innocentie, fuit signum; in quo integra Domino hostia cre- mabatur; nullam inde partem accipientibus hominibus; sicut perfectus, totum se Deo con- secrat. Et in eodem loco maclari jubetur ho- stia pro peccato, in quo offeretur holocaustum. Scilicet qui per pœnitentiæ sacrificium cum Deo in gratiam redit; per omnia similis est ei, qui nunquam deliquit; & eodem loco habe- tur apud Deum. Origen. hom. 5. in Ex. in loco, ubi jugulantur holocausta, ibi etiam hostie pro peccato: quò scilicet intelligat, qui pec- cavit, & pœnitet, & conversus ad Dominum, contribulati Spiritus hostiam jugulat; in loco Sancto stare; & sociari his, qui pertinent ad Deum, Pinna Ethol. 2. 14. Theodoretus q. 4. ad demulcendos oblatores: ut cognoscant, se non esse alienos à Sanctis cum per pœnitentiam sanantur.

Ille radet cesariem &c. Deut. 21. 12. Præcepit Dominus filiis Israël, cum, hostibus devictis, inter captivos vidissent aliquam mu- lierem pulchram, quam vellent in uxorem du- cere. Sic Sponsa Christi debet prius deponere vestem, in qua capta est, id est, pristinos mo- res, quos sub diaboli captivitate habebat. Ra- dere novacula abnegationis propria cesariem; id est, omnes terrenas curas: circumcidere un- gues, tollendo omnem affectum rapacitatis: sedere unò mense, id est, quietè, & tranquil- lè, pristinam vitam recogitare; perpendendo, quem patrem habuerit, nempe diabolium &c. de Ponte tom. 2. l. 6. Exh. 37. §. 3. in Cant. 3.

Ponens in thesauris abyssos. Pf. 32. 7. id est, peccatores faciens lapides pretiosos per pœnitentiam. Hugo Card. hîc.

Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum; qui numerat multitudinem stellarum &c. Pf. 146. 3. 4.

Quæ consequentia juxta literam: & alligat contri-

contritiones eorum, qui numerat multitudinem stellarum? illos, qui antea contriti fuerant, & postea sanati, vertit in stellas. Arcones in II. I. Disc. 6.

In manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Isa. 6. 6. Calculus hic Symbolum est poenitentiae, & contritionis. Carbo hic fuit carbunculus. Objicies: quomodo ignis altaris nutrirī potuerit carbunculis: Resp. in ignem immisso fuisse carbonem; sed vi ignis conversos fuisse in carbunculos: ut significaretur vis nostri altaris holocausti, poenitentiae scilicet: per quam peccatores, qui erant, instar carbonum, frigidi, & nigri, in carbunculos, gemmasque, evadunt; puta fiunt carbunculi per charitatis ardorem, vel Smaragdi per castitatem, vel adamantes per patientiam, & fortitudinem. Hinc Ps. 17. 9. *Carboes succensi sunt ab eo:* nec tantum succensi, sed & in gemmas divinitus conversi. Ita legimus S. Vincentium Ferr. duos reos: cum ad supplicium ducerentur, suā exhortatione ad tantum dolorem accendisse; ut facies eorum in carbonem quasi versae fuerint, itaque expirarent. Cornelius hic. *In manu ejus calculus.* Hebr. *carbo.* Hieron. *carbunculus;* & subdit: ex quo intelligimus, altare Dei plenum esse carbunculis. Cornelius hic.

In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami. Isa. 35. 7. An non S. Magdalena cubile fuit draconum, cum possessa fuit mente & corpore, à septem demoniis? sed iis à Christo ejectis, quantae lacrymarum aquae ex hoc deserto prodierunt? quantus viror charitatis, orationis &c. Cornelius hic.

Erunt lebetes in domo Domini quasi phialae. Zach. 14. 20. Lebetes erant ollae, in quibus coquebantur carnes victimarum DEO oblatarum. In phialis adolebatur thimiama; libabatur, excipiebatur sanguis victimarum. Ecclesia de S. Magdalena: fit ex lebe te phiala, in vas translata gloriae, ex vase contumeliae. Cornelius hic. Ostendit, animos carnales, in quibus plurima ebulliebant vitia, Evangelii tempore ita immutandos, ut solum amorem Dei, & proximi, aliisque virtutes Christianas, spiraturi sint. Bessius D. 21. Pent.

Imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. 5. Ovis errans pastorem vicit; ut relictiis nonaginta novem, unam sequeretur; inventamque gestaret, non ageret. S. Chrysol. hom. 31. in I. Cor. Nunquam Pastoris humeris frueretur, si à Pastore non aberrasset. Quid gestas, bone JESU! in dorso tuo? Ovem, Ovem? num lanā suā te texit? num lacte copiosius pavit? num foetu geminato gregem auxit? num te sequendo fatigata est? Imò fugiendo à me, & mihi, & gregi, obfuit. Sed apud Pastorem bonum non erravit; si se sinit reperiri, quae diu erravit. Oliva l. 10. Strom. §. Nigra sum, sed formosa.

Sicut papyrus ex immundis, veteribus, & in sterquilinio collectis, pannis conficitur: sic DEUS ex peccatoribus Sanctos eximios efficit; in quorum mentibus, velut in alba papyro

singulares format characteres, id est, caelestia dona, & gratias speciales. Diez. cont. 2. D. 10. Pent.

§. 2.

Exempla

Primum David.

Ex illis duobus filiis Davidis, Amnon, & Salomon, senior erat Amnon; ad quem proinde regnum spectaret; junior Salomon. Et nihilominus Deus ita rem disposuit; ut junior potius regnaret; ut pater 3. Reg. 1. 39. Ratio forsitan esse potest: quia Amnon filius erat Davidis adhuc innocentis; at verò Salomon filius Davidis jam poenitentis. Mendoza in I. Reg. 3.

Lavabo per singulas noctes lectum meum. Ps. 6. 7. Lavabo per singulas noctes lectum: ideo meruit David, ut ex ejus familia Virgo eligeretur, quae nobis partu proprio Christum ederet. S. Ambros. l. 2. de poenit. c. 8.

Beatus vir, cui non impudavit Dominus peccatum. Ps. 31. 2. Licet secundum cor Dei non esset, quod ille peccavit; tamen secundum cor Dei fuit, quod pro peccatis suis congruam poenitentiam satisfecit. S. August. hic.

Ego autem, sicut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei. Ps. 51. 10. Cujus vox hac tanta plena fiducia? an Abelis? an Enos? an Enoch? an Jeremiae in utero matris sanctificati? Davidis est: & quidem non innocentis, sed adulteri; non luctantis cum Goliath, sed foeminae succumbentis. Psalmus iste primus est post quinquagesimum. Tu olea? & quidem fertilis, in domo DEI es? & ubi voces ille, miserere mei Deus? scit David, Dei misericordiam ad delicias usque, & decora, peccatoribus indulgere: scit, post scelus, non tantum non abjectum se esse à Domino, sed erectum altius. Et quidem nusquam se, ante peccatum, tam splendide vocabulū ornavit: doctus, clariore nos fore post culpam, si poeniteat culpa. Dices tu: sed quid, post innumera beneficia à Deo accepta, contra eum rebellavi; qui fluvii sufficient ad mundandum me? quomodo ignoscat DEUS post adoptionem rebellanti? Imò quia plurima praestitit, praestabit plura: dedisse causa erit, ut deb. Vanus ergo timor eorum, qui Deum infestorem sibi fore putant; quā indulgentiorem in se sunt experti. Oliva t. 2. Strom. §. Ego autem sicut Oliva.

Liber generationis Jesu Christi filij David. Matth. 1. 1. David propter peccati sui confessionem, meruit, ut inter alios Reges Israel, in catalogo primogenitorum Christi, ipse solus Rex semel, atque iterum, diceretur: *Jesse genuit David Regem; David autem Rex genuit Salomonem,* Matth. 1. 5. 6. Mendoza in I. Reg. 3. speciales favores Dei erga poenitentes.

Ex ea, quae fuit Uria. Matth. 1. 6. Delicti meminit; non ut ladat Regem, sed poenitentem laudet. Nam Evangelista totus est hic in Davide sublimando: ideo prius dicit Christum filium Davidis, quam Abraham: deinde,

deinde, inter omnes Reges descriptos, solum Davidem dicit regem; & quidem bis; ob duplicem pœnitentiam duplicis peccati: adulterii, & homicidii. Licet Abraham sit *Pater omnium credentium*, Rom. 4. 11. David est Pater, & Princeps, pœnitentium. Sylveira hic in additionibus. Sed cur Manasses v. 10. Regis titulo non honoratur? cum verè fuerit pœnitens? Resp. quia primus David in pœnitentia: imò David pœnitens in genealogia præponitur innocenti Abraham. Velloso in Judith. 5. Paræn. 47. Non veretur adulterium meminisse: ut legitimam, & regiam prolem narret. Et quid magis suspectum ad regiam prolem, & legitimam, quam adultera conjux? Tamen hoc adulterium tot lacrymarum expiatum, adeo obliteratum fuit, quasi nunquam existisset; sic nihil nocuit, quò minus legitimam, & regiam, familiam inde David stabiliret: Jam David quasi Joseph habetur, & Bersabee Susanna. Bæza t. 2. l. 8. c. 3. §. 7.

De domo David. Luc. 1. 27. Quid fuit necesse, Evangelistam Joseph jultum, virum MARIE, de domo David adulteri, & homicidæ fuisse, dicere? Ratio: ut ostendat: quòd Dominus peccatores non respicit; sed recipit pœnitentes. Hugo Card. hic.

Secundum. Petrus.

Surrexit Dominus verè, & apparuit Simon. Luc. 24. 34. Redivivus Dominus quem alloquitur? Joannem? an Petrum? O-liva. l. 7. Strom. §. Ascendens in altum.

Pace agnos meos. Joan. 21. 15. Quas Christus claves Petro promiserat, Matth. 16. 19. hic tradidisse videtur. Jam Petrus pœnituerat; *flevit amare*. Matth. 26. 75. Petrus Dam. l. 56. respectum Christi sequitur fletus Petri; & lacrymarum amaritudo anti-quæ dignitatis dulcedinem instaurat. Aptior visus est exhibendæ misericordiæ, ex quo magis illà eguit. Ut enim virga Moysis adhiberi cepit ad prodigia, ex quo anguis facta. Ità Petro oves traduntur post lapsum. Id. l. 11. Strom. §. Saulus adhuc spirans.

Domine, hic autem quid? Joan. 21. 21. Non vanè Joannes, qui solitus erat describere seipsum ab una conditione; scilicet quem diligebat JESUS, modo describit seipsum à casu super pectus in cœna, & actu interrogandi de proditore. Sed usus est tot præcipuis benevolentia, familiaritatis, ac fiducia indicis: ad significandum; in quem gradum post Christi negationem Petrus ascitus fuerat: ut scilicet ipse Petrus interroget pro Joanne tam dilecto, tam domestico ipsi JESU: qui Petrus, antequam negaret Christum, interpellabat Joannem; ut interrogaret JESUM: ut intelligamus, in magis internam amicitiam DEI adscribi quandoque homines post crimina, quam antè habuerant. Cajetanus hic. S. Thom. Aqu. 3. p. q. 89. a. 3. ad 3. quia tunc innocens erat; at nunc post negationem pœnitens. Nescio enim, quò pacto, qui ad

Polyanthe. Sacra. Tom. II.

pœnitentiam rodit, majorem ad Deum accedendi fiduciam acquirit.

Ut veniente Petro saltè umbra illius Erc. Act. 5. 15. Cur Petrus umbrâ factè miracula, & sanat? quòd de nullo alio Sancto legitur. Lyranus: ponitur differentia Petri ad alios Apostolos in operatione miraculorum; nam alii Apostoli curabant infirmos per tactum manuum, sicut dicitur supra v. 12. *per manus Apostolorum*: Petrus autem non solum per tantum, sed etiam per umbram; quòd est majus. Concessum hoc illi privilegium, quia pœnitens. Sylveira hic q. 12.

Tertium. Paulus.

Spirans minarum. Act. 9. 1. Ecce Paulum, infensissimum Christi nomini, gloriæ, doctrinæ; cujus conabatur evertere domum, Ecclesiam, Evangelium, existimationem, barbarâ crudelitate incensus. Et tamen, cum in furoris apicem pervenisset; eum Christus in militiam suam invitat; damna, & injurias, condonat; confert titulum, & dignitatem Apostoli, exceptâ Pontificiâ jurisdictione, cum Petro adæquat miraculis, gloriâ & doctrinâ. Oliva t. 1. conc. 15.

Magna quidem Petri, & Joannis, testimonia: sed suspiciosus aliquis dixerit, quòd erant domestici. De illius autem (Pauli) qui hostis antea fuit, deinceps verò pro illo moritur, quis dubitet amplius, illius verum esse testimonium? Miratus sum certè Spiritus S. dispensationem, quòd aliorum quidem epistolas parvò numero circumscriptis; Pauli autem, antea, sui persecutoris, quatuordecim esse concessit. Non enim eò, quòd minor esset Petrus, aut Joannes, præcedit gratiam, abste: sed quòd dubia non esset gratia illius, qui antea esset inimicus, & persecutor, plura concessit eum scribere. S. Cyrill. Jerof. Catech. 10.

Quartum. Mattheus.

Remittuntur tibi peccata. Matth. 9. 2. Quare Publicanus, qui major videtur in crimine, major habetur in munere? Nam mox Apostolatûs prædictus dignitate, non solum ipse accepit, sed etiam aliis tribuit, indulgentiam peccatorum; totum orbem splendore Evangelicæ prædicationis irradiat. Et paralyticus solâ digna veniâ vix habetur. Vis nôsse, quare plus consecutus sit Publicanus? quia, juxta Apostolum Rom. 5. 10. *ubi abundavit delictum, super abundavit gratia*. S. Chrysol. l. 30.

Nota; solum S. Mattheus, & Joannes, simul Apostoli, & Evangelistæ. Si tantum donum datur Joanni ob suam virginitatem, & puritatem; hoc concessum Mattheo ob suam pœnitentiam. Sylveira in Apoc. 4. 7.

Quintum. Magdalena.

Vides hanc mulierem? Luc. 7. 44. Cui Christus D. laudat Magdalenam in præsentia, cum Baptistam non laudaverit, nisi abeuntibus discipulis? Ostendit Christus, quanti assidue

N n n

pœni-

pœnitentes; quantumque efficiatur; ut in eorum laudibus immoretur. Sylveira hic.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7. 47. Laudatur mirè Magdalena; sed laudibus adverte mixtum vituperium. Et v. 37. expressius hoc ipsum declaratum: *Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Cur, si mulieris egregia facinora, & ardentissimi amoris excessus, referuntur; transactæ vitæ, peccatis plenæ mentio fit? Quia, cum Magdalena ad tantum sanctitatis, & amoris erga Christum, pervenerit culmen, oportuit præteritorum criminum iterare memoriam; ut tanta felicitas præteritæ infelicitatis temperaretur gravamine. Callilo Illat. 189.

Domine, non est tibi cura? Luc. 10. 40. q. d. Domine, tuæ curæ, & cogitationes, non in me, sed in sorore mea, maxime defixæ sunt. Sed cur tanta ei cura in Mariam? erat peccatrix, conversa, & pœnitens. Sylveira hic c. 16. q. 12.

Maria Magdalena, & Maria Jacobi &c. Luc. 24. 10. Hoc primum valde notandum est hic, quod referens S. Evangelista nomina harum mulierum sanctarum, prius ponit Magdalenam peccatricem, quàm alias sanctas: ut cognoscamus, quæ sit pœnitentiæ efficacia; quæ facit peccatores iustis anteponi. Diez D. Refurr.

Magdalena, postquam conversa est ad pœnitentiam, facta est à Domino tanta gratia, ut post B. Virginem, non inveniatur mulier, cui in Mundo major exhibetur reverentia, & in cœlo majorem habere gloriam credatur. B. Humbertus f. 100.

B. Margarita de Cortona interrogabat Christum, an inter Virginum choros in cœlesti gloria collocaverit Magdalenam? cui respondit: exceptâ Mariâ Virgine, ac Martyre Catharinâ, nullâ inter Virginum choros major est Magdalenâ. Bolland. 22. Febr.

Tres Sancti sunt, qui mihi pro cæteris placuerunt: Maria mater mea, Joannes, & Maria Magdalena. l. 4. Revel. c. 10. 8. S. Brigita Verba Christi.

Sextum. Filius prodigus.

Ecce tot annis servio tibi, - & nunquam dedisti mihi badum. Luc. 15. 29. Cur tot dona impenduntur prodigo reverso: non verò filio fideli? tantum ille ferventi pœnitentiâ promeruit, ut etiam innocenti prælatus sit. Sylveira hic c. 26.

Cito proferte stolam primam. Luc. 15. 22. Non respondet pater filio verbis, sed factis, quibus suam benignitatem erga eum declarat; ostendens se injuriarum immemorem. Ad servos suos simul convertit sermonem; & non ad unum solum, sed ad omnes. Ad cœnam magnam invitat per unum servum. Luc. 14. 17. Sylveira hic. Prima & primaria stola non datur seniori, & iusto; sed pœnitenti juniori. Ita Deus exaltat pœnitentes. Id. ib.

Date annulum in manu ejus. ib. Annulus Symbolum nobilitatis, & libertatis; per quem Equites à plebeis, & servis, distingueban-

tur. S. Chrysol. l. 5. posuit annulum in manu ejus; annulum honoris, titulum libertatis, insigne pignus Spiritus, signaculum fidei. Sylveira hic.

Surgam, & ibo ad patrem meum. Luc. 15. 18. Aliter Sponsa in florido conscientia mundissimæ lecto requiescens: *surgam, & circumibo civitatem per vicos, & placeas, quarum, quem diligit anima mea.* Cant. 3. 2. Prodigus it, quasi viæ certus: circumit Sponsa viarum dubia: ille, quasi, inveniendi tutus, rectâ pergit; hæc per circuitum solum quarendi studium manifestat. Nec imprudens utriusque cogitatio: illi quippe obvius pater occurrit; huic sponsus diu quæsitus non invenitur. Unde unius, ejusdemque Dei tam diversus tenor? ut amanti lateat, peccatori tam facile reveletur? quia prodigus petebat veniam; Sponsa amorum delicias captabat: illud misericordiae in propatulo est, mox obinetur; hoc amoris manna in latebris delitescit. Gilbertus f. 3. in Cant. vide, si non in præfenti hæc possit observari distinctio: quoniam patris exposita est, & parata cunctis, indulgentia; deliciae vero fugaces, & reconditæ, & latibulis gaudentes: idè ille dicit, *surgam, & ibo*, ista verò *surgam, & quarum*. Denique & pater occurrit pœnitenti; Sponsus se abducit diligenti. Misericordia sui profusior est, dilectio parcior. Ramirez in ep. 3. Apoc. 2. 17.

Septimum. Latro pœnitens.

Heu me! ajebat diabolus: duos latrones dedi, ac unum amisi; nec amisi tantum, sed & paradus apertus est. Annos quinque; millia clausus manserat, ipsūque aperuit latro. Quis jam de salute desperaturus est? innumerabiles hic effodit parietes; in supernis latro, itémque in infernis. S. Chrysol. or. in Sancta lumina.

§. VII.

Pœnitentia præ innocentia Deo chara.

Symbola.

IN die illo magnificavit Dominus Josue coram omni Israël. Jos. 4. 14. Non extollitur gloria Josue, dum miracula inusitata operatur dum prophetando cum Moyse sociatur; sed dum fluente Jordanis pertranlit. Josue figuram gerebat Christi Domini: cujus gloria non tam grandescit, dum mirabiliter fulget, quàm dum undâ Jordanis peccatores sanctificat. Sylveira in Joan. 1. 4.

Corvi deserebant ei panem, & carnes manè. 3. Reg. 17. 6. Cur corvus vorax eligitur, & qui Noe infidus fuit? cur non mittitur columba? Corvus peccatoris Symbolum. Deus etiam elegit peccatores in Apostolos. Sedulius l. 1. operis Paschalis c. 23. nunc Elias corvus bonus, ac fidus, qui Noe quondam perfidus; in terris abluit culpam in aquarum inundatione contractam. Sylveira in Luc. 23. c. 16.

Moab lebes spei meæ. Pf. 107. 10. *quis deducet me in civitatem munitam? quis deducet me usque in Idumæam?* Cur non ais, quis deducet me in Sion, ubi Propheta, & Patri-

Patriarchæ florent? non, inquit, impios esurio; non iustos. Si impii convertantur, opiparè epulabor. Oliva l. 10. Strom. §. Nigra sum.

Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum. Isa. 19. 1. Cur non sidus insidet, sed nubem? Certè Eliæ igneam demisit rhedam, cui non abfimilis fuisset currus affris compactus: Nimirum iis oblectatur Dominus, qui vilioris olim conditionis. Ex sterquilino nubes subsiliit, & concrevit: propterea gratior Domino est, qui aptior fidere. Mavult Dominus olim impios, quibus ad quævis uti possit; quàm fatuam innocentiam, cujus nihil non remissum, nihil non mediocre. Oliva l. 11. Strom. §. Saulus adhuc spirans.

Magna erit gloria domus istius novissima, plus quàm prima. Aggæi 2. 10. Tropologicè: major est virtus pœnitentiæ post lapsum, quàm innocentia ante lapsum. Major est Paulus, quàm Saulus: major est Magdalena lapsa, & pœnitens, quàm virgo, & innocens. Major Petrus negans Christum, & plorans; quàm eum confitens. Cornelius hic.

Vidit cælum apertum. Act. 10. 11. Quid in vase erat? nectar, an mel? an agni, columbæ? quibus iustorum expressa imago est? imò in quo erant omnia quadrupedia, & serpentina terra; tigrides, angues, vultures, & omne ferarum genus. Expavit Petrus, & exclamavit: *absit Domine.* v. 14. O Petre, noli fastidire fercula portentosa: inter ea monstra tu quoque lates. Modo oras; sed recordare, quod olim peierasti. *Quod Deus purificavit, tu commune nè dixeris.* Nota: non Angelorum, ut manna; sed manu Dei, monstra illa condita sunt, & perpurcata. Non dixerunt angeli: quia à Petro rejectæ sunt bestia, projiciantur in cloacas; sed in cælum vas recipitur: ut, quod Petrus repudiârat, Trinitati sanctissima apponeretur. Oliva l. 10. Strom. §. Nigra sum &c.

Sicut Sol post pluviam clarior fulget: Sic Christus post lacrymarum irrigationem benignior apparet. Hugo Victorinus de claustrò animæ c. 7.

Luna, Lem: *In reditu gratior.* Luc. 15. 7. *Gaudium erit super uno peccatore pœnitentiam agente. In se reversus dixit: surgam.* Luc. 15. 17. S. Chrysol. f. 2. in se ante rediit, ut rediret ad patrem; qui à se ante recesserat, cum recessit à patre. Picinelli. Luna Lem: *Conversa lucidior.* S. Gregor. mor. 25. c. 7. dum commissa attentius lugemus, in iustitiæ splendorem membra deauramus. Id.

Testimonia.

Gaudium erit in caelo &c. Luc. 15. 7. Sæpe accidit, quod ij, qui à maximis peccatis surgunt per pœnitentiam, postea ferventiores sint in amore divino, quàm qui nunquam ceciderunt. Ferrum enim ignitum ferventius est lignò accensò: quia, quantò substantia est magis frigida, & igni contraria; si ignitur, tantò calidior efficitur, & calorem diutius conservat. Stella hic.

Citò proferet stolam primam. Luc. 15. 22. Cur non alia, quàm prima, petitur? Per pœnitentiam reversus æstimatur à patre, tanquam sem-

Polyanth. Sacra Tom. II.

per bonus fuisset, & nunquam abiisset. Sylveira in Matth. 26. q. 3.

Zachææ festinans descende. Luc. 19. 5. Avidior interdum Dominus est surgentis ex iniquitatis cœno animæ, quàm coruscantis in serico inaocentiæ. Oliva l. 5. Strom. §. Ascendens in altum.

Vita erat lux hominum. Joan. 1. 4. Cur non dicitur lux creaturarum, vel Angelorum? quia Angeli sancti semper perseveraverunt in gratia, homines eâ exciderunt. Et Deus plus gloriatur, quòd sit eorum lux, qui à salute deperdita revocati sunt ad vitam; quàm eorum, qui semper in charitate perstiterunt. Sylveira hic q. 26.

Fit plerùmque gratior Dei amor, eadem vita post culpam, quàm securitate torpens innocentia. S. Laur. Just. de spe c. 4.

§. VIII.

Pœnitentia post lapsum fortior.

Cumque pugnassent contra Madianitas, atq; vicissent; omnes mares occiderunt. Num. 31. 7. Unde tanta Hebræo virtus? Num. 25. 18. Dolebat Moyses, pœnitebant & alii, *stebant ante fores tabernaculi.* Profuit Hebræo pœnitentia ad vires colligendas: quæ peractâ occisa sunt viginti quatuor millia hominum. Orig. hom. 25. in Num. qui prius à mulieribus victi sunt, nunc, expiatione habitâ, & gestâ pœnitentiâ, etiam reges vicerunt. Velloso in Judith 5. Paræn. 43.

Samson multò plures occidit moriens, quàm antea vivus occiderat. Judic. 16. 31. Pœnituit turpiter victum à muliere. Id. ib.

Dolor speciem ignis gerit: quia dum plus tegitur, plus ignescit. Blesensis. ep. 49.

Amplius placet miles, qui post fugam hostem duriter ferit; quàm, qui nunquam terga vertit, & tamen nunquam fortiter facit. Haymo in Il. 1.

§. IX.

Pœnitentia solatiofa, leta.

Figura, Symbola.

Ex Veteri.

Viditq; post tergum arietem inter vepres harentem cornibus, quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Gen. 22. 13. Præcepit Abraham Domineus, ut filium Isaac immolaret: mutata immolatio est; non Isaac, sed ariès, immolatus est, & perit. Sic non perit Isaac id est, risus, & sancta delectatio hominis ad Deum conversi; sed perit bruta delectatio. S. Bernardus s. de verb. Petri: *ecce nos reliquimus omnia.* Securus esto: non Isaac, sed ariès morietur: non peribit Lætitiâ, sed contumaciâ. Barradius t. 4. l. 5. c. 8. D. Pent.

Confitebor tibi in Cithara. Ps. 42. 4. Ipsa debet dolorosa confessio non carere lætitiâ. Vel in confessione requirit Dominus æquè planctum, ac cantum. Quid est confiteri in cithara? est plorare sinè timore; & lacrymas spei emittere ex oculis: est in ipso gaudere dolore. Volo pluviam, sed cum iride. Oliva l. 14. Strom. Quamdiu ponam consilia in anima mea Ps. 12.

Nna 2

In convertendo Dominus &c. Pf. 12. 5. 1. Hanc ineffabilem consolationem verè experiuntur, qui seriò convertuntur ad Deum; & contemptà spe sæculi, atque, rerum omnium terrenarum cupiditate deposità, dirigunt pedes suos in viam pacis. Bellarminus hic.

De profundis clamaui ad te Domine. Pf. 129. 1. Nota: Omnis Psalmus penitentialis incipit à lacrymis, & terminatur in exultatione. S. Bonaventura hic.

Botrus Cypri dilectus &c. Cant. 1. 13. Tu si peccata luxisti, bibisti amaritudinem: si autem jam respirasti in spem vitæ sanctiori; mutata est tibi myrrhæ amaritudo in vinum, quod lætificat cor hominis. S. Bernardus l. 44. in Cant.

Mel, & lac, sub lingua tua. Cant. 4. 11. Per mel prædicatio penitentiæ. Philo Carpath. hic.

Consolabitur Dominus Sion, & ponet desertum ejus quasi delicias; & solitudinem ejus quasi hortum Domini. Isa. 51. 3. solatur Spiritus S. paraclitus Sion, id est, animam ad se totò conatu conversam: & quam peccatum in desertum redegerat, in hortum delicias plenum commutat. Invenitur deinceps in ea gaudium, & cœlestis voluptas, ubi terrestrem repudiavit. Barradius t. 4. l. 4. c. 8.

Lactabo eam. Ol. 2. 14. Est omnis anima, quæcunque ad Dominum convertitur. S. Rupertus de oper. Spir. S. hic.

Ex Novo, & alijs.

Habitavit in Capharnaum. Matth. 4. 14. Capharnaum ex Hebræo interpretatur: *ager jucunditatis, & delectationis; vel villa pulchritudinis*, ait S. Hieronymus. Alii: *ager penitentiæ; aut propitiatio penitentiæ.* Cornelius hic, Capharnaum est compositum ex duabus dictionibus, *Caphar*, id est, *villa*, seu oppidum; & *Naum*, id est, *penitentiæ*. Juxta Rupertum *consolatio*; juxta Albertum M. *pinguedo*. Ubi enim penitentiæ, ibi pinguedo, & anima consolatio. Sylveira in Joan. 2. 12. c. 2.

Infundens oleum, & vinum. Luc. 10. 34. Oleum lætitiæ est. Pf. 44. 8. *unxit te Deus tuus oleo lætitiæ.* Et vinum lætitiæ est, Psal. 103. 15. *Vinum lætificat cor hominis.* Ac per hoc duplici lætitiâ conversus peccator perfunditur: quia evasit Infernum; & regni superni accepit promissionem. Sim. Cals. l. 8. c. 38. hic.

Post hæc erat dies festus Judæorum. Joan. 5. 1. In fine præcedentis capituli habetur de sanatione infirmi; hic agitur de die solenni. Primò igitur fit sanatio à peccato; postea sanatus debet festum agere, id est, gratias agere: & posthæc feriare, & vacare; ne de cætero agat opus servile, id est, peccatum. Hugo Card. hic.

Canimus Alleluja post Graduale; Canticum lætitiæ post luctum penitentiæ: volentes exprimere magnitudinem consolationis, quæ reposita est lugentibus. Innocentius, P. III. de Sac. alt. c. 28.

Testimonia ex Veteri, & Novo.

Erit enim necessarium. Tob. 11. 4. Et recordatio amaritudinis Passionis Dominicæ necessaria est: quia omnem amaritudinem penitentiæ dulcem reddit; quod significatum est Ex. 15. ubi aquæ Marath, per lignum positum in eis, in dulcedinem versæ sunt. Et 4. Reg. 4. 9. per farinam, quæ amaritudinem ollæ dulcoravit. Hugo Card. hic.

Laboravi in gemitu meo. Pf. 6. 7. Benevolentia in exordio diligentissimè comparatâ, venit ad narrationem actuum suorum: asserens, penitentiam suam magnis cruciatibus fuisse completam. Gemitus amaritudo dulcis, lacrymæ felices, salutaris afflictio. Cassiodorus hic.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes. Pf. 41. 4. S. Aug. notat: non dixisse, factæ sunt mihi lacrymæ potus; sed panes. Nunquid aquæ nomen lacrymis aptius? Respondet: aqua sitim mitigat; panis eam non modò non sedat; sed etiam magis accendit. Panes, inquit Augustinus mihi factæ sunt; utique manducando lacrymas suas plus sitit. Did. Nis. fer. 5. D. 5. Quadr. Cujus similitudini penitentiam comparemus? sic est, quomodo ager fructifer, aut vinea fecunda, aut etiam arbor fructifera: fructus ejus edit peccator famelicus. S. Chrysost. l. de penit.

Beati, qui lugent. Matth. 5. 5. S. Chrysost. hom. 22. ad pop. non mortuum, non jacturam; sed peccatum. Hic luctus perfectè exponitur à S. Gregorio Nyss. lib. de beatitudinibus, S. Remigio, Albertò M. &c. qui præ tædio hujus vitæ, & vehementi desiderio cœlestis patriæ, ac eximio amore Dei, lugent in hoc corpore suum incolatum. Sylveira hic.

Beati qui lugent. ib. id est, penitentiam agunt. *Quoniam ipsi consolabuntur:* ipsi enim sunt, quibus promittitur, & datur, paracletus, id est, Consolator Spiritus S. S. Rupertus in Volum. 4. Evang. c. 18.

Ascendit eò in naviculam. Matth. 8. 23. Tria hic sunt spiritualiter attendenda. Primum est animæ conversio; quæ designatur in ascensu naviculæ. Secundum est tentatio; quæ designatur in impetu procellæ. Tertium est animæ consolatio, quæ designatur in sedatione tempestatis. S. Bonaventura in c. 8. Luc.

Fecit ei convivium magnum Levi in domo sua. Luc. 5. 29. Theophylactus: fecit illi convivium sicut diè natalis sui gaudiò concelebraret. Illa diè Matthæo verè natalis fuit, quia Christo natus, Alvarez Illustr. 145. in. Gen. 40. 20.

Exceptit illum gaudens. Luc. 19. 6. Matthæum, Luc. 5. 29. & Zachæum, ambos Publicanos, Salvatorem domi gaudentes excepisse, Lucas refert: quam exultationem nè in domo quidem Marthæ innocentis, Luc. 10. 38. floruisse refert. Quid hic mysterij? fortè insolens adeò est diviti exultatio; ut velut miraculum habitum fuerit, potuisse illos, exceptò domi Christo, gaudere. Adde: penitentiæ, & vero dolori de peccatis, non deesse gaudia, & solatia; nec debere ad Deum revertentes tritari anxie, diffidere de Dei bonitate. Oliva l. 13. Strom. hic.

Vincenti

Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. 2. 17. Manna absconditum est Iesus, qui pœnitentes, & agonizantes, in solitudine Mundi, & in certamine carnis, prælibatoriâ quâdam, & dispositoriâ suavitate refecit, & oblectat, S. Bernardus l. 49. art. 3.

Ex Patribus, & aliis.

Nulla melior est voluptas, quàm emendatæ gratia conscientia. S. Ambros. l. 2. de Abraham. c. 11.

Omni homini converso ad Deum mutatur delectatio, mutantur delicia: non enim subtrahuntur, sed mutantur. S. August. in Ps. 74.

O quàm suave mihi subito factum est, carere suavitatibus nugarum; ut, quæ modò amittere metus erat, jam dimittere gaudium foret. Id. l. 9. Conf. c. 1.

Nulla res adeò jucunda, ut lætus secundum Deum. S. Chrysost. l. 24. in ep. ad Eph.

Bonum est, semper flere, maximè autem tempore noctis; quando nullus est, qui hanc admirabilem voluptatem excutiat; sed licet volenti eâ liberrimè expleri, qui ejus, quod sciunt, dico, fecere periculum; quantam lætitiâ habeant hi fontes lacrymarum, S. Chrysost. in Ps. 6.

Securus esto: non Isaac, sed aries, morietur: non peribit læticia, sed contumacia. S. Bernardus l. de verb. Petri: ecce nos reliquimus omnia.

Sit suavis, & dulcis, affectui tuo D. Iesus, contra malè utique dulces vitæ carnis illecebras; & vincat dulcedo dulcedinem, quemadmodum clavum clavus expellit. Id. l. 20. in Cant.

Multi abominantur, & fugiunt, pœnitentiam; crucem quidem videntes, sed non etiam unctionem. Vos, qui experti estis; ecce scitis, quia verè crux nostra inuncta est; & per gratiam Spiritus S. adjuvantis, suavis, & delectabilis; est pœnitentia nostra; & ut ita dicam, amaritudo dulcissima. Idem l. 1. in Dedic. Eccl.

Quantum in se dulcoris habet pœnitentia! quam est suavis! eò maximè, quia suavis est Dominus noster; malè à nobis commissorum facillè immemor, benignus, miserator humani generis; imò animarum nostrarum amantissimus, modis omnibus prospiciens nostræ omnium salutis: &c. S. Antiochus Abb. hom. 77.

Nulla in hac vita dulcedo nobilior, quàm deslere peccata. Et mirò quòdam modò agitur, quòd fletus dulcis est miseris: & pœnitentibus verè lacrymis guttula sint dulcedinis. Sim. Cass. l. 13. c. 1. de Pass. Salvat.

§. X.

Pœnitentia grata Angelis.

Gaudium erit coram Angelis. Luc. 15. 10. Gaudium ex tua conversione asserere velis cœlesti exercitui, S. Ephrem l. 1. de pœnit.

Festum excitat Deo pœnitentia: quoniam & cœlum movere ad epulas, & Angeli lætantur, dum pœnitentia ipsos invitât ad prandium;

cunctique cœlestes ordines epulantur, per pœnitentiam sese recreantes. S. Ephrem de pœnit.

Gaudent in conversione ex pœnitentia peccatorum salutem hominum scientes: lacrymæ pœnitentium vinum eorum, S. Bernhardus l. 30. in Cant.

§. XI.

Pœnitentia motiva ex mysteriis Salvatoris.

Num. 1.

Incarnatio, Nativitas.

Quid prodest, si in illa tantum carne, quam de Maria suscepit, dicam venisse Christum; & non ostendam etiam in hac mea carne, quòd venerit. Ostendo autem ista demum; si, quem admodum prius exhibui membra mea servire iniquitati ad iniquitatem, nunc ea convertam, & exhibeam servire justitiæ ad Sanctificationem. Orig. hom. 3. in Gen.

Age pœnitentiam: hoc tibi prædicat stabulum istud, hoc præsepe clamat, hoc membra illa infantilia manifestè loquuntur; hoc lacrymæ, & vagitus, evangelizant. S. Bernardus l. 2. in die Nat.

Num. 2.

Eucharistia.

Per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Matth. 2. 12. Ex Bethleem domo panis. Naxera in Appendiculo de Sac. Euch. §. 2.

Notandum est, quòd cum irrationalis creatura, scilicet panis, per Verbum Dei, & spiritum ejus, in melius convertitur; quanta sit peccatoris duritia, qui multis verbis, & Spiritus S. circa se operationibus, ad conversionem non reducit. S. Albertus M. l. 12. de Euch.

Num. 3.

Passio, mors, Christi.

Consurrexit Cain adversus fratrem suum Abel, & interfecit eum. Gen. 4. 8. Ajunt Judæi, protoplastes non deslevisse peccatum suum, quoad ipsi Abelem mortuum viderunt: tunc enim verò in tam deformis filii sui, olim speciosissimi, cadavere, sceleris sui, quò mortem induxerant, gravitatem pensasse. Mors Christi vel eò nomine deslenda; quòd per peccatum nostrum inducta sit: & eam nos commemoramus; dum Sacrosanctum Christi Corpus in pectus nostrum, velut in sepulchrum, immittimus. Doultreman de am. lib. 1. c. 4. Sect. 11.

Tollat crucem suam. Matth. 16. 24. Nam meam non poterit: gravissima est enim; & quam nullius puri hominis humerus portare sustineat. Non meam injungo, sed tollat suam, levem, facilem, portabilem. Non peto sanguinem à te, ô Christiane miles; non vulnera non, non tormenta, non spinas, & verbera, quæ pro te ipse passus sum: age pœnitentiam pro peccatis tuis; & sufficit mihi. S. Thom. Vill. conc. 3. de uno M.

Non 3

Tristis

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. 38. S. Hieron. in Pl. 108. hoc dolebat mihi, & contristabar pro persequentibus me; quia nolebant poenitentiam agere. Ego in cruce pendebar, & sanguine meo lavabam fordes eorum; & ipsi nolebant agere poenitentiam. Hæ erant lacrymæ meæ, hæc compunctio; quoniam persequentes me non potui salvare. Apud Fernandum in Gen. 4. Sect. 19.

Velum templi scisum est. Matth. 27. 51. Magis ad præsens mihi placet, videre te oculò mentis, laniatum, consputum; quam transfiguratum. Et si non sum tanquam velum nobilissimum in templo, ut in morte tua scindar; sum tamen foedissimum monumentum, ut ad apertionem tui lateris aperiri debeam. Quid in me quaris Domine? Si in morte tua petra scisæ sunt, ego sum durior omni petrâ. Si terra mora est; & ego terrenissimus sum. Si cælestis non sum, ut tibi compatiendo cum sole nequeam obscurari; tamen infernalis conversationis sum; ut à te debeam in hoc triduo mortis tuæ visitari. S. Laur. Just. de incend. div. am. c. 4.

Terra mota est. ib. & lapides scissi sunt; ut denotetur, quòd lapidea hominum corda per ejus Passionem deberent scindi; & quòd iste Mundus debet ad bonum, Passionis JEsu mortientis virtute, moveri. S. Bernardinus t. 2. f. 56.

Imponit in humeros suos gaudens. Luc. 15. 5. Cur humeris ovem perditam imponit? S. Ambros. ideo cervicibus, crucis lignò detritis, tulisse ait: ut ovis, dum crucem aspicit, errores antiquos facillè abjuret. Ovis illa, inquit, quæ perierat in Adam, levatur in Christo: humeri Christi crucis brachia sunt: illic peccata mea deposui; in illa patibuli nobilis cervice requievi. Naxera in Jos. 16. §. 6.

Fatigatus sedebat. Joan. 4. 6. Nisi fatigatus JEsus sederet expectans, nullam mulieri utilitatem suus ad fontem adferret adventus. Toletus. Vide, quos parat Dominus laqueos ad fontem, ut mulierem venerit: nam labores, & fatigationes, validissima arma sunt ad convertenda humana corda. Baeza tom. 2. l. 6. c. 3. §. 7.

Crucifixus fuit patiens, ut vocaret ad poenitentiam immanes peccatores. S. Chrysof. in Pl. 2.

§. XII.

Poenitentia delet peccata, mundat. &c.

Facies & atrium tabernaculi. Ex. 27. 9. Mysticè significabat atrium Fideles incipientes Deo servire; *Sanctum* proficientes; *Sanctum Sanctorum* perfectos, & beatos. Unde in atrio erat *labrum*, sive lavacrum, id est poenitentia; & *altera holocausti*, id est, mortificatio vitiòrum. ità V. Beda Cornelius hic.

Ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix-lacrymis capit rigare pedes ejus. Luc. 7. 37. &c. Tela è manu, & textrino, nigra exit; & sic necesse est, eam sæpe aquâ perfundi, & solis radiis opponi; posita, quasi nix,

alba efficitur. O quàm nigra, & obscœna, te-la erat hujus mulieris vita; in qua Mundus, diabolus, & caro, quidquid eis libuit, texerunt. Attamen plurimis lacrymis perfusa, & juxta solem justitiæ collocata, super nivem dealbata est. Diez. fer. 5. D. Pass.

Unus autem de his &c. Luc. 23. 39. *Id ipsum & latrones-improperabant.* Matth. 27. 44. Quia alter facti poenitens, ita poenitentia peccatum aboler, quasi id non fecisset. Velloso in Judith. 5. Paræn. 41.

O poenitentia! quid de te novi referam? Omnia ligata tu solvis, omnia soluta referas, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas, omnia desperata tu animas. O poenitentia! rutilantior aurò, splendidior sole; quam non vincit peccatum; nec defectio superat, nec desperatio delet. S. Chrysof. l. de poenit.

§. XIII.

Poenitentia liberatà poenis, solvit debita.

Itaque cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite. 3. Reg. 21. 27. Sicque comminatas poenas evasit.

Homines, & jumenta, & boves, & pecora, nec gustent quidquam &c. Jon. 3. 7. &c. Similiter comminatas poenas evaserunt. *Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus.* ib. S. Ephrem, hæc porrò Ninivita nec opinantes prophetabant. Et quidem Prophetæ erant veritatis: nam poenitentia prophetas eos feceret.

Poenitentiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. 18. 26. Sed unde inops homo vim tantam pecuniæ, decem millia talentorum, solvet? Palatius: adèd confidenter promittebat, iste satisfactionem operum; quia novit, per poenitentiam applicari sanguinem Christi: qui, cum infiniti valoris sit, profectò omnia talenta valebat. Sylveira hic.

Amaritudo præsentis poenitentia extinguit supplicia sequentis iræ. S. Gregor. mor. lib. 9. c. 23.

Tanta est poenitentia medicina; ut mutare Deus videatur suam sententiam. In te est igitur, ut evadas: vult rogari Dominus; vult de se sperari, vult sibi supplicari. Homo es, & vis rogari, ut ignoscas; & putas Deum tibi non roganti ignoscere? Ipse Dominus Jerusalem flevit: ut, quia ipsa flere nolebat, Domini lacrymis ad veniam pertineret &c. S. Ambrosius l. 2. de poenit. c. 6.

§. XIV.

Poenitentia facit formosum.

Confessio, & pulchritudo. Pl. 95. 6. Confessionem bene sequitur pulchritudo: quia nemo potest esse speciosus; nisi qui Domini fuerat miseratione mundatus. Foedos nos peccata nostra faciunt; sed poenitentia reddunt lavacra decoros. Cassiod. hic.

Nigra

Nigra sum. Cant. 1. 4. seu fusca propter delicta; *formosa* ob pœnitentiam. Philo Carpath. hic Nigra ob superiorem impietatem, pulchra propter pœnitentiam. B. Theodoretus l. 1. hic.

Quærimus, quomodo nigra, & sinè candore sit pulchra? pœnitentiam egit à peccatis: speciem ei largita est conversio; & ideo speciosa cantatur. Orig. hom. 1. in Cant.

§. XV.

Pœnitentia celo apta; eidem vim infert.

Tempus flendi, & tempus ridendi. Ecclæ. 3. 4. S. Hieron. nunc flendi tempus est; in futuro ridendi. Beati qui nunc fletis; quia ridebitis. Luc. 6. 21. Plangendum est in præsentiarum, ut postea saltare valeamus, illà saltatione, quâ saltavit David ante Arcam 2. Reg. 6. 14. Quia qui in præsentia sæculo sua plangit peccata, ridebit postea in futuro, juxta illud Malach. 4. 2. *egrediemini, & salietis sicut vituli de armento.* Cornelius hic.

Laudate Dominum in Sanctis ejus. Psal. 150. 1. Liber iste Psalmorum per quinquagenos, si per ipsos quinquagenarios articulos interrogetur, magnum aliquid, & valde dignum consideratione, respondet. Non enim frustra mihi videtur Quinquagesimus esse de pœnitentia; Centesimus de misericordia, & Judicio; centesimus quinquagesimus de laude Dei in Sanctis ejus. Sic enim ad æternam, beatamque, tendimus vitam: primitus peccata nostra damnando, deinde bene vivendo: ut post condemnatam viam malam, gestamque bonam, mereamur æternam. Pœnitentiæ vox est, *miserere mei Deus &c.* hinc offert sacrificium Deo, spiritum contribulatum, contritum, & humiliatum; quod Deus spernit. Justitiæ Christi vox est in electis suis: *miserere mihi, & Judicium, cantabo tibi Domine,* Psal. 100. 1. *Psallam, & intelligam, in via immaculata quando venies ad me:* per misericordiam quippe adjuvamur ad faciendam justitiam; ut securi ad Judicium veniamus. Vitæ æternæ vox est: *laudate Dominum in Sanctis ejus.* S. August. hic.

A diebus Joannis Baptista regnum cœlorum vim patitur &c. Matth. 11. 12. Quia, qui pœnitentiam peccatoribus indixit, quid aliud, quam Regno cœlorum fieri violentiam docuit? Vult à nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti: nam regnum cœlorum rapit vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. S. Gregor. hom. 20. hic. Quid aliud debuit dici pœnitentia peccatorum, nisi violentia regni cœlorum. Noli desperare; constanter age felix anima, quæ cum Deo luctari cœpisti: amat utiq; vim abs te pati; desiderat à te superari. Absit, ut fortis adversum vos sit, qui pro vobis infirmari usque ad mortem voluit. Tot vulneribus confossus est totò corpore crucifixus est: unde, quæso, ei virtus esse potest ad resistendum illi charitati; quæ veluti victum, & captum; per omnia genera infirmitatum usque ad mortem, mortem autem crucis, per-

duxit. Guarricus s. 2. die Pent. Cur potius à diebus Joannis, quam antè? Joannes primò sic legitur prædicasse: *pœnitentiam agite.* Sed pœnitentiam agere, est sibi ipsi bonam violentiam facere, affligendo, & reprimendo seipsum: nam antè non docebatur apertè, quòd regnum cœlorum taliter acquireretur. Violenti sunt ergo, qui, desiderio patriæ, quotidie seipsum mortificant, carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis, crucifigentes: qui dicere possunt cum Pl. 16. 4. *propter verba laborum tuorum ego custodi vias duras.* Dion. Carth. hic. Hæc violentia fit per pœnitentiam: quia omnia opera pœnitentialia requirunt violentiam. Primò: conteri de his, ad quæ naturaliter inclinatur: odisse, detestari, quæ amavit, violentiam requirit: quæ tanta aliquando est; ut ex illa violentia moriantur. *Scandite corda vestra.* Joel. 2. 13. Secundò: habere propositum, non redeundi ad peccata; quæ fortè jam sunt conversa in naturam ex consuetudine. Tertio: recedere à malâ societate, à persona tam dilecta &c.

Confessio etiam, violentiam habet, ob verècundiam. Idem de restitutione bonorum, famæ &c. S. Vincent. Ferr. ser. 6. D. 2. Quadr.

Magna super terram est pœnitentia: quoniam Scala animabus fit eò ascendendi, unde per peccatum deturbati sunt. S. Ephrem de pœnit.

§. XVI.

Pœnitentia parçitur sibi non parcenti.

Dei, confitebor adversus me injustitiam meam, & tu remisisti. Psal. 31. 5. Sequitur de accusatione propria salutare remedium, quando pepercit Judex, cum sibi non parceret reus. Cassiodorus hic.

Iniquitatem meam ego cognosco. Psal. 50. 5. Iratus est potius sibi; qui se cognovit justâ ob-jurgatione culpâ. Tam ingentium populorum rector sibi erat vehementissimus tortor, exigens à se pœnas, quas jussione vix ferre poterat alienâ. Vulgò mos est, peccata sua callidis allegationibus excusare. Rex autem potentissimus, in conspectu omnium, se potius elegit addicere, constituens se reum, cujus confueverat populus formidare judicium. Idèd à Domino absolvi meruit, quia sua vitia non defendit. Idem hic.

Latentur, & exultent gentes, quoniam judicas populos in aequitate. Psal. 66. 5. Quarandum nobis est, quare moneat gentes latari, & exultare; cum judicium Dominum dicat facturum? Metuere enim potest rea conscientia, cum audit, veracem Dominum judicaturum. Sed de illis dicit, qui jam confessi peccata, formidare nequeunt ventura judicia: illis enim non Judex, sed advocatus est Christus, qui se propriâ confessione damnarunt. Id. hic.

Misericordiam, & Judicium, cantabo tibi Domine. Psal. 100. 1. Nemo in melius commutatus exhorreat Judicium Dei, quia præcedit misericordia Dei. S. August. hic.

In quantum non peperceris tibi; in tantum tibi Deus, crede, parat. Tertull. l. de pœnit.

Gemamus

Gemamus modicum; ne semper gemamus; ploremus modicum; ne in aeternum ploremus; non parcamus nobis; ut parcat ipse. Quod enim quisque districtior fuerit in seipsum peccatorum vindex; eo illi mitior tunc apparebit iudex. S. Thom. Vill. conc. 1. D. 1. Adv.

§. XVII.

Poenitentia varia bona, & gratia.

Inque non egimus in Testamento tuo. Pl. 43. 18. Testamentum Christi, quod fecit ante mortem suam, est pax inter Deum, & hominem; secundum quod dicit Joan. 14. 27. *pacem relinquo vobis.* Et Eccl. 45. 30. *statuit et testamentum pacis.* Ad hoc autem, quod fiat pax inter aliquos, oportet, quod uterque flectatur in aliquo a suo proposito. Similiter in pace facienda inter Deum, & hominem, Deus flectitur a sua iustitia per misericordiam; & homo quasi ei occurrit, & assurgit per poenitentiam. Hugo Card. hic.

In lectulo meo &c. Cant. 3. 1. Quid est in lectulo Deum querere; nisi cum velle cum vita suavi invenire? non invenitur Deus in quiete mundana; sed in aspera poenitentia. S. Bonavent. l. 30. Dom. infra Oct. Epiph.

Qui incipit poenitere; tunc primo potest dicere: *Domini ego sum.* Il. 44. 5. Hugo Card. in Gen. 2.

Invenerunt puerum cum Maria. Matth. 2. 11. id est, amaritudine poenitentiae. Hugo Card. hic.

Miserere mei Domine! filia mea male a demonio vexatur. Matth. 15. 22. Cur non petat preces Discipulorum? At ipsa, dum in se dolorem sentit, non aliud putavit opus patrociniis. Orig. hom. 7. in divers. non petivit Jacobum, non rogavit Joannem, non accessit ad Petrum; sed suscepit in se poenitentiae patrociniis; & sola cucurrit ad Dominum. Baeza t. 2. l. 11. c. 3. §. 2.

Miserus dimisit eum, & debitum dimisit ei. Matth. 18. 27. Vide poenitentiae robur, & misericordiam Domini. Poenitentia enim fecit servum cadere a malitia, qui firmiter in illa stabat; nec veniam dignus erat. Misericordia autem Dei dimisit omnino debitum; tamen servus non omnia remitti; sed prorogari tempus, peteret. Disce ergo, quod Deus plura dat, quam petimus. Theophylactus hic.

Iussit illi dari manducare. Luc. 8. 55. Post poenitentiam peccatorum, post primam resurrectionem, post virtutis exercitium; jubetur, ut Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi, apponatur. Sim. Cass. l. 5. c. 14.

Deus autem pacis conterat Sathanam sub pedibus vestris velociter. Rom. 16. 20. Cum Deus poenitentiam docet, Deus pacis dicitur: quia poenitentia pacem in animum inducit. Secundò dicit conterat: non tantum petit ferri, aut vulnerari, sed conterendum; quia per poenitentiam funditus deletur. Tertio *sub pedibus.* q. d. non erit opus gladium exercere, lacertis luctari; sed vel calce solum demonem facile conterit poenitens. Quarto *velociter:* nec longò opus tempore; sed brevi rem perficies. Pinna Echol. 56.

Nisi esset poenitentia, jam dudum humanum periisset genus. S. Ephrem, de poenit.

Si vultis intrare per portam iustitiae; defendite culpam: si per januam misericordiae; agite poenitentiam. S. Fulbertus ep. 77.

Continuatio Patrem respiciens,

Et venit ad patrem suum. Luc. 15. 20. Quomodo venit? nisi poenitentia, & corde contrito, & spiritu contribulato: hac enim via redeunt peccatores ad Dominum. S. Eusebius Emils. Sabb. D. 2. Quadr.

Quòd si in terris nequam pater, offensus graviter a filio peccatore, & malo; si tamen eundem postmodum viderit reformatum; & depositis prioris vitae delictis, ad sobrios, & bonos mores, & ad innocentiae disciplinam poenitentiae dolore correctum; & gaudet, & gratulatur; & susceptum, quem antea projecerat, cum voto paternae exultationis amplectitur: quantò magis unus ille, & verus Pater bonus, misericors, & pius, imò ipse bonitas, misericordia, & pietas, laetatur in Poenitentia filiorum suorum: nec iram poenitentibus, aut plangentibus poenam, comminatur, sed veniam magis, & indulgentiam, pollicetur. S. Cyprianus Carthag. ep. 52.

O felix humilitas poenitentium! o beata spes confitentium! quam potens es apud omnipotentem; quam facile vincis invincibilem; quam citò tremendum Judicem convertis in piissimum Patrem! Guaricus Sabb. 2. hebdom. Quadrage. de parab. filii prodigi.

§. XVIII.

Poenitentium exempla,

Efecitque Adam. Gen. 3. 24. Nunquid non statim potuit illum mortem inducere? Sed vide, quid agat benignissimus Dominus: ejicit ipsum e paradiso; neque enim erat dignus illò loco propter peccatum. Constituit autem illum e regione paradisi: ut videat, unde exciderit; & a quibus in qua delapsus sit, deinceps que per poenitentiam salvetur. S. Cyrill. Jerof. Catech. 2.

Peccavi. 2. Reg. 12. 13. Hoc verbum poenitentis David sic explicatur: litera prima *Paniteo, Erubesco, Confiteor, Cito.* Ago poenitentiam, humiliter recipiendo, quod confessarius imponit. *Voluntarie, Intègre.* Progredar Peccatum.

Curvatus sum usque in finem. Pl. 37. 7. Hoc dicens, velut affectum ipsum, & animum, poenitentis exponit dicentis: ex quo peccavi, nunquam risi, nunquam laetatus sum, nunquam mihi ipsi aliquid jucunditatis indulli; sed semper in moerore fui, semper in poenitentia, semper in luctu. Orig. hom. 1. hic.

Peccatum meum contra me est semper. Pl. 50. 5. Lapsus est David semel, semper flevit: haec enim poenitentiae vis est, quae hominem ita a se rapit; ut unam tantum meditetur, & molietur, sceleris ultionem. Oliva l. 5. Strom. §. Peccatum meum.

Ninive subvertetur. Erc. Jon. 3. 4. 5. Mirabile; imò miserabile est: Ninivite, ad duo verba Jonæ, induerunt se sacco: & tota die verberant aures nostras sacra verba; & tamen non movemur, Hugo Card. in Gen. 9.

In

In se reuersus. Luc. 15. 17. Extra se ierat, qui ad se reuertebatur. *Redite prauaricatores ad cor.* Il. 46. 8. Redit ad cor, qui per compunctionem male actorum in seiplo reuiviscit, & discutit conscientiam suam: quia propriâ voluntate suâ, atque perversâ, recessit à Deo; & pœnam, quam iuste meretur, agnovit. Sim. Cass. l. 8. c. 40.

Surgam, & ibo ad patrem meum. ib. v. 18. Quâ spe? quâ fiducia? quâ confidentiâ? Quâ spe? illâ, quâ Pater est: ego perdidit, quod erat filii; ille, quod patris est, non amisit. Apud patrem non intercedit extraneus: intus est in patris pectore, ipse, qui intervenit, & exorat affectus. S. Chrysol. f. 2.

§. XIX.

Pœnitentia motiva varia.

Ex Veteri.

Ut det gentibus pœnitentiam. Eccl. 44. 16. Rabanus, & alii, legunt: *Sapientiam:* vera enim peccatoris Sapientia, est pœnitentia. Cornelius hic.

A planta pedis, usque ad verticem, non est in eo Sanitas. Il. 1. 6. Tantâ ulcerum commemoratâ scœditate, nulla tamê de scalpro, mentio: Unguenti meminit, fasciarum, & olei. Arquebatur à famulis suis Naaman, quod periculû facere recufaret imperati ab Elisæo lavacri. 4. Reg. 5. 13. *Siremgr andem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras.* Et tantum nudari princeps jubebatur, mergique septies perfrigidâ, & absente Elisæo. Tibi Christus adest; qui, nè mergâre in stagnum ignis ardentis, jubet, te tuam solum fastidire sanem; & piget expiari. Alabastrô opus est, non camino: mensa est, non laniena, pœnitentia. Et cunctaris? & non evolas? Audi Ezech. 24. 12. 13. *non exiit de ea nimirum rubigo ejus. Immunditia tua execrabilis; quia mundare te volui, & noluisti.* Olyva fer. 5. D. Pass.

Candidiores Nazarei ejus nive &c. Thr. 4. 7. Anima se jure deplorat; quæ fuit prius, per fontem Baptismi, nive candidius dealbata; &, per infusionem S. Spiritûs, aurô pulchrius colorata: nunc verò, aut hæresi est infecta; aut vitii, & sceleribus, obfusata. S. Paschasius hic.

Ex Novo.

Jam enim securis ad radicem arborum posita est. Matth. 3. 10. id est, de proximo imminet vobis interitus mortis, atque æternæ damnationis; nisi pœnitentiam dignam egeritis: sicut arbori propinqua inflat ruina, quando securis applicatur radicitus arborem amputet, funditisque evellat. Dion. Carth. hic.

Jesus ductus est in desertum à spiritu. Matth. 4. 1. Marci 1. 12. *Spiritus expulit eam.* agebatur à spiritu in desertum. Luc. 4. 1. In quo significatur: quod ad desertum pœnitentiæ venit tripliciter. Scilicet timore feveritatis, cujus est, expellere à malo ad bonum, *Timor Domini expellit peccatum.* Eccl. 1. 27. Splendore veritatis; cujus est ducere. Amore bonitatis; cujus est agere. *Quicumque spiritu Dei aguntur.* Rom. 8. 14. S. Bonaventura in Luc. 4. *Exiit primò manè &c.* Matth. 20. 1. Nul. *Polyantha Sacra. Tom. II.*

la enim non ætas hominum apta conversioni. Prudentissimè primâ horâ, id est, in pœnitentia, ad propriæ vineæ culturam properabis: quia præcoces fructus expetit, qui ait. *Sinite parvulos - venire ad me.* Matth. 19. 14. At, si pœnitentiam possedit otiositas, adolescentia lignonem accipiat. Flores ætatis immaturos, & acidos, fructus parturiere? virilis ætas maturos exponat. Maturi, ais, fructus maturam decent ætatem: saltè ergo in senectute ad operationem vineæ perge. An putas, patremfamilias circa undecimam horam exiturum fuisse; si inepta ad conversionem vel decrepitæ ætatis infirmitas? *Ite & vos in vineam meam.* Strabus: q. d. vel in ultimis respicite. S. Fulgentius ep. 7. c. 10.

Si aliquam ætatem judicaret Dominus conversionis remedio ineptam, non diversis temporibus operarios vocaret ad vineam: in diversitate enim horarum accipitur ætatum diversitas. Id. c. 9. Semper Deus delectatur conversione nostrâ: nec tempus hujusmodi, quamdiu in hac vita est, posuit; quò propitiari non possit converso. S. Chrysol. hom. 2. in Ps. 50. Occidisti? pœnitere: vulneratus es? adhibe tibi curam, dum vivis, dum spiras; etiam in ipso lecto positus, etiam si dici possis exanimatus. Non impeditur temporis angustia misericordia Dei. Escob. t. 6. Par. Chr. l. 9. Sect. Obs. 1.

Amice, quomodo buc intrasti, non habens vestem nuptialem? Ligatis manibus &c. Matth. 22. 12. 13. Cui rex tam iratus, præsertim cum servi tam celeriter adesse coegerunt, quos invitabant; ut curandi vestitus honestioris non permitterent otium? Respondet Euthymius: in corruptibilibus nuptiis respondere quispiam posset; quòd digna stola, difficilis inventu foret: in his autem incorruptibilis nuptiis oblata est omnis occasio: in proximo namque est ornatus, ac inventu facilis; si modò illum verè quæserimus. Justè itaque illum ejicit, qui ornatus non erat, tanquam segnem, & negligentem. Did. Niss. D. 3. Pasch. §. 5.

Memor esto, unde excideris. Apoc. 2. 5. Nihil est, quod tam summo dolori sit, quam si unusquisque positus sub captivitate peccati recorderetur; unde lapsus sit eò quòd ad corporea, atque terrena, ab illa speciosa divinæ cognitionis intentione deflexerit. S. Ambros. l. 2. de pœnit. c. 11.

Ex Patribus, & aliis.

Pœniteat amasse, quæ Deus non amat: quando nè nos quidem ipsi servulis nostris ea, quibus offendimur, non odisse permitimus. Tertull. l. de pœnit. c. 3.

Inquinati, post aquas salutis, renascamur ex lacrymis. Itaque sicut modo geniti infantes lac concupiscite. 1. Petri 2. 2. Redite parvuli filii ad sinum Matris vestrae, æternæ sapientiæ; fugite larga ubera pietatis Dei: transacta plangite, imminetia vitate. S. Gregor. hom. 25. in Evang.

Proh nefas! orbis terrarum ruit! in nobis peccata non ruunt. S. Hieronymus ep. 12. ad Gaudentium Dicis: perfectam non possum agere pœnitentiam. Si non potes sol fieri, fias vel stella. S. Chrysol. hom. 22 ad pop. Antioch.

Florida est rosa; sed mihi tristitiam inducit: quotiescunque enim video florem, peccati mei recordor; ob quod terra ad spinas, & tribulos ferendos, damnata est. S. Basilus f. de parad.

Fellivitas pulchra est, & divina; poenitentia cum lacrymis, S. Ephrem de festis dieb.

Cuncta series veteris, & novi Testamenti, poenitentiam pro peccatis agendam, quod est, lamentari; regnum cœlette querendum, ubi est carmen; & fletus infernalis, ubi est va; præmonet esse fugiendos. S. Rupertus l. 4. de operib. Spir. S. c. 13.

Parcite, obsecro fratres, parcite animabus vestris; parcite sanguini, qui pro vobis effusus est. Horrendum cavere periculum; ignem, qui paratus est, declinate. S. Bernardus f. de conversione ad Clericos. c. 30.

De mea misera vita suscipe obsecro residuum annorum meorum: pro his verò, quos vivendo perdidisti, quia perdidisti vixi, cor contritum, & humiliatum Deus non despicias. Id. f. 20. in Cant.

Si Joannes, qui ex utero sanctus, tam asperam poenitentiam faciebat; quid facere debent peccatores impii peccatis omnibus pleni? S. Bonaventura f. 20. de S. Joan. Bap.

Ubi est poenitentia? quis hodie dolet, si Deum offendit? Verè plus dolet, si animum perdidit: quia, si animum perdidit, mox eum querit; sed Deo perdidit, & per tempora longissima; non requirit. Idem serm. 2. de S. Agnete V. M.

Duo maxime sunt recogitanda animæ, quæ vult veraciter poenitere: primum est, beneficia recepta; secundum mala commissa. S. Bernardus f. 15. de vera Conf. Art. 1.

Peccavimus fratres: aut poenitendum, aut ardens. Quanto melius modicum poenitere; quam perpetuo ardere, S. Thom. Vill. conc. 1. de Judicio.

Sumus homines, & non demones: ergo aliquando mala commissa plangenda, & non continuo peccata augenda. Juglaris conc. 21.

§. XX.

Pœnitentia matura, velox.

Num. 1.

Symbola, & Similitudines.

Versa est in statuam salis. Gen. 19. 26. id est, vix respexit, imò actu respiciens, obruit in lapidem salis. Mirum, tam citò punitam à Deo; cum tamen alias supplicia in longum tempus protrahat: ut fecit sodomitis ipsis sceleratissimis. Et Loth uxorem, minus peccantem, sine morâ punivit: nè quis scilicet putet, differri tutò posse poenitentiam; cum sæpè supplicium peccatum ipsum propè comitetur. Scilicet omnibus hominibus, quacunque ratione peccantibus, sive magis, sive minus, in certum est tempus poenitentia: atque ideo nemo differat, ut interceptiatur morte, & debitò supplicio. Pinna Eth. 234.

Festinaritque populus, & transit. Jos. 4. 10. Ut exsiccatus erat Jordanis alveus, comodaque in terram promissionis transeundi datur occasio. Multa nobis dantur in cœlum promissum transeundi occasiones: festinemus, & transeamus. Barradius t. 2. l. 4. c. 14. Dom. 20. Pent.

Exclamavit Abner ad Joab & ait: num usque ad interneccionem tuus mucro deserviet? Et ait Joab: vivit Dominus, si locutus fuisses, mane recessisset populus persequens fratrem suum. 2. Reg. 2. 26. q. d. Sero sapuisti: facta jam est alea. Tempus hoc non in tui commodum, sed perniciem, in lumen. Ita loquitur Deus ad peccatorem contra se tota die bellantem; vespere mortis ab eo petit inducias. Incertò Auth.

Surge, propera. Cant. 2. 13. Surge à peccato ad justitiam; propera quia mora periculosa est. *Flores apparuerunt in terra nostra:* flores citò corrumpuntur. Hugo Card. hic.

Filia mea modo defuncta est. Matth. 9. 18. Prudens princeps, qui mortuam filiam quatuordecim annorum esse non expectavit; sed mox cucurrit à Domino ad vitam revocari. Si peccato anima moriatur, non differenda cura resurrectionis. S. Chrysol. f. 34. *modo filia mea defuncta est, modo, id est, adhuc vite manet calor, adhuc animæ vestigia videntur. Facile fax flammam resumit; si, postquam extincta est, dum adhuc calidum fumum exhalat, ignem admoveas.* Escobar t. 1. Mir. Chr. p. 4. Obs. 3.

Qui prior descendisset, sanus fiebat. Joan. 5. 4. Ad motum piscinæ probatica, qui prior descendisset, unus tantum curabatur. In hoc, quòd unus, & primus, sanatur; commendatur nobis duo in poenitentia: strenuitas, & unitas; ut homo sit strenuus in se; & velox: & unus, id est, concors ad alios. Eccl. 31. 27. *in omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.* Hugo Card. hic.

Num. 2.

Exempla Pœnitentia matura.

Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiam, abscondit se Adam, & uxor ejus. Gen. 3. 8. Cur eodem die, & prius, quàm sol occubisset, advenit Dominus; ut Adamum de patratò scelere argueret? cur non vel in diem alterum objurgationem suspendit? Quia novit, quantum periculi habeat procrastinatio remedi post perpetrationem peccati. Did. Nisf. D. 23. Pent. §. 2.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Jon. 3. 4. Et Ninivita, habentes tot dies superfluos vitæ, statim egerunt poenitentiam, diem sequentem non expectantes. Tu eorum exemplum cur non sequeris; cum nec de una hora sis certus? Stella de cont. p. 1. c. 96.

Ut cognovit. Luc. 7. 37. Nota diligentiam: non interposuit moras, non reservavit poenitentiam ad finem vitæ. Cæsarius Arelat. hom. 7. nec ipsa se reservavit, ut in fine vitæ poenitentiam ageret: sed dum adhuc poterat peccare; sic voluit peccata deferere; ut illam de adulteriis suis, non impossibilitas subtraheret, sed voluntas. Sylveira hic.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Cum enim hodie vocem meam audisti, & non obrurasti cor tuum; celeriter tibi gratificor. tu hodie obedisti fidei; hodie quoque tibi Salus. S. Cyrill. Jerof. Catech. 12.

Reliquis

Reliquit ergo hydriam suam &c. Joan. 4. 28. Non promittit Christo, sed ad meliorem frugem recepituram; sed factò ipsam vitam mutat. Anselmus: nota facilitatem, seu agilitatem, peccatricis fœminæ ad pœnitentiam; & duritiem, & procrastinationem, nostram. Escobar t. 3. Coll. Chr. p. 1. Sect. 2. Obs. 4.

Num. 3.

Motiva ex Veteri.

Intelligite hæc, qui obliviscimini Deum. Pl. 49. 22. Studiose, inquit, unumquodque ex his, quæ dicta sunt, intelligite. Et vos, qui Deum obliti estis (oblivio enim Dei conciliatrix peccati est) pœnitentiæ medicamentis vulnera curate, antequam mors rapiat: quæ quidem leonis more in homines graffatur; cum res nulla vehementem illius impetum cohibere possit. B. Theodoretus hic.

Hodie si vocem ejus audieritis &c. Pl. 94. 3. Utilius namque, & multò salubrius est; hodie audire eum consolentem, consolantem, admonentem, docentem, & cum multum arguentem, increpantem, corripientem: quam in die illa tam amarâ, tam lugubri, tam tenebrôsâ; audire illum judicantem, indignantem, ulciscentem, sævientem, condemnantem. S. Bernardus l. de verbis Abac. sup. custodiam meam stabo.

Septies cadet justus, & resurgit. Prov. 24. 16.

Ex Novo.

Exiit primò manè. Matth. 20. 1. Periculosus error; tunc velle odoriri vineæ culturam; quando finiendus labor ob decursum diem. Exiit primò manè, pervigilat, solem prævenit: ut doceat, quam diligenter tractandum negotium salutis, tempestivè res componendæ. Omnis enim in hoc periculosa cunctatio: vitæ brevis; occasiones, & tentationes validæ, pericula gravia, hostis vaferimus, Didac. Niss. D. Sept. §. 2.

Manè autem revertens in civitatem esurivit. Matth. 21. 18. Manè esurit Dominus, & ante tempus scis fructus requirit: qui enim prævenit in maturitate, & cum vix per tempus licet, jam virtutis præferat fructus; is sanè attingit punctum divini gustus. Bæza tom. 2. l. 11. c. 8. §. 2.

Postquam consummati sunt dies octo. Luc. 2. 21. Christus octavam diem à Nativitate sua vix expectat, ut suum tibi sanguinem impendere incipiat: tu post, non dico, octo dies, sed nec post octoginta menses, imò & octoginta annos, solam non rependis voluntatem. Ille vix natus sanguinem tibi effudit; tu jam moriturus voluntatem tuam non refundis. Bonus profectò Jesus, qui etiam in quarta vigilia venientem servum suscipit pœnitentem: dedisti robor annorum juvenilium hosti Christi? Christo saltè misericorditer expectanti infirmam tribue voluntatem. S. Bernardus tr. de Pafs. c. 2.

Permitte mihi primam renuntiare his, quæ domi sunt. Luc. 9. 61. Summa vitæ humana incertitudo nec minimam mortalam admittit; quò tardes ad Deum venire. Quid agis homo? Deum sequi vis; & prius domum abis? Unde scis, an revertendi tempus aderit? vis domesticus res disponere; habesne diem crastinum? Isaia 38. 1.

Polyanth. Sacra. Tom. II.

Ezechias jubetur domui disponere propter instantem mortem: ille autem, domum oblitus, hoc agit, ut Deum oret. v. 2. Bæza t. 2. l. 6. c. 4. §. 7.

His fieri incipientibus. Luc. 21. 28. Hoc est, statim post delictum respiciamus ad pœnitentiam: nam ipse peccati actus signum est judicii. Escobar t. 5. Par. Chr. l. 1. Sect. 2. Obs. 2.

Adhuc modicum tempus vobiscum sum. Joan. 7. 33. Dives in misericordiis Dominus peccatoribus promittit vel modicum tempus: pretiosa enim temporis particula ad conversionem; Pensa illud adhuc: cur illò modicò tempore, quò adhuc donaris, ad conversionem non uteris? Proh dolor! adhuc illi misericordis Dei addis adhuc impœnitentiæ, & pertinaciæ tuæ. In omnibus his peccaverunt adhuc. Pl. 77. 32. Escobar t. 2. Pers. Chr. l. 6. Sect. 1. Observat. 7.

In momento, in actu oculi. 1. Cor. 15. 52. Resurrectionem corporum differit Deus in extremum Mundi diem; resurrectionem verò animarum nec punctò quidem temporis differri vult. Si pœnitentiam peccator agit, statim Deò excitante resurgit. Resurrectioni animarum unam tantum diem tribuit; resurrectioni corporum totum tempus tribuit, quò Mundus stat. Pendet autem resurrectio corporis maximè ex resurrectione animæ: si anima ante mortem non resurgit, resurget quidem corpus; sed ut torquetur æternum. Barradius t. 4. l. 8. c. 7.

Eccè nunc tempus acceptabile. 2. Cor. 6. 2. Antonius M. teste S. Hieron. suos ad virtutem exhortatus, jugi meditatione, ajebat, retinendum esse illud Eph. 4. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram:* nèque tantum super iracundiam, solem occidere non debere; sed super peccata alià omnia. Joan. Alex. &c. Sol ad occasum est, Ità quisquis peccati mortalis conscius sibi est, vesperi revolvat. Sol ad occasum tendit; forsàn & vita tua: atque, si hac nocte moriaris, quod non rarum est; in qua te futurum putas æternitate? divorum? an damnatorum? Quotquot corpori sunt, non dicam sensus, sed & potentia; tot & mortis sunt fenestæ, per quas irepat, & jugulet. *Nescio,* ait Job 32. 22. *quandiu subsistam, & si post modicum tollat me factor meus.* &c. Drexelius de Æternit. Conf. 7. §. 3.

Ex Patribus.

Qui pœnitenti veniam spondit, peccatò diem crastinum non promittit. S. Gregor. hom. 12. in Matth. 25.

Qui malus fuit heri, bonus sit hodie. Malus fuit heri, & non est mortuus: si mortuus esset, & malus esset; isset, unde non redisset. Prose illi, quòd vivit; non malè vivat. Quare ergo dici helterno hodiernum vult addere malum? quis longum ferat malum vel prandium? S. August. hom. 25. ex 50.

Quia antiquorum morborum difficilis, & tarda, curatio est; tantò velocius adhibeantur remedia, quantò recentiora sunt vulnera. S. Leo l. 1. de Resurr. Dom.

Ostio tibi apertò, ingredi, unde es egressus; & nè tardes; nè, si forte in ortu incidierit, ea tibi ob-

struat aditum. Caput jam canescit, propè est ætas vitæ: in nos fortè falx acuitur; & timeo, nè, nobis dormientibus, & in vana spe occupatis, repente accedat messor terribilis. S. Gregor, Niss. Orat. contra differentes Baptisum.

Postquam in domo aliqua parum stupæ accensum viderimus, conturbamur, & tumultum movemus: non enim attendimus initium, sed finem; sed ex initio finem considerantes, movemur, & concurrimus; ut totum caminum extinguamus. Hòc igne vehementius animam excedit vitium; oportet itaque prævenire: nam, si fuerimus negligentes, id correctu evadet difficilius. S. Chrysol. in Ps. 26.

Currite ad medicum, cum potestis; nè, cum velitis, non possitis. Id. in Ps. 26.

Peccatum, si ad animam tuam divertit, hospes sit, non incola: quia iusti illicò peccatum expellunt, & ad statum gratiæ redeunt. Id. hom. 12. in 1. ad Corinth.

Ecce ostium pœnitentiæ apertum est; festina peccator, priusquam illud occludatur. S. Ephrem de pœnit.

Sic pœnitentiam agas, quasi de vita desperares; ut per mortem corporis animæ mortem extermimes. Id. ib.

Curat pœnitentia, sententia nè præcurrat: quia Dominus, quòd non venit adhuc, quòd expectat, quòd moras facit; nos sibi redire desiderat, non perire. S. Chrysol. l. 167.

Stylò ferreò, & ungue adamantinò, scribendum; quòd tempus pœnitentiæ concessum est: tempus breve, & est tempus instabile, & est tempus irrevocabile: & quia breve; ideo utiliter expendendum. S. Bonaventura l. 44.

Quis moraretur in culpa, qui non est certus de die crastina, in Regim. conscientiæ.

§. XXI.

Pœnitentia sera, procrastinata.

Ex Veteri.

Qui respondit, cras. Ex. 8. 10. Ad Pharaonem Moyses: *constitue mihi, quando deprecer pro te, & pro servis tuis, & pro populo tuo; ut abigantur rana.* Cum debuerit in tanta positus necessitate rogare, ut jam oraret, nec differret; respondit, crastinà die. S. Ambros. hexam. l. 1. de Cain & Abel c. 9. Noli desperare; promissa est indulgentia tibi. Deo gratias, inquit, quia promissa est; teneo promissum Dei. Ergo jam benè vive. Cras, inquit, bene vivam. Indulgentiam tibi Deus promissit; crastinum diem tibi nemo promissit. Si malè vixisti, benè vive jam hodie. S. August. in Ps. 101. Fratres, non tardetis converti ad Dominum: sunt enim qui præparant conversionem, & differunt; & sit in illis vox corvina, cras, cras. Corvus, de arca missus, nõ est reversus. Non quærit Deus dilationem in voce corvina; sed confessionem in gemitu columbino. Missa columba reversa est. Quàm diu cras? cras? Observa ultimum cras: quia ignoras, quòd sit ultimum cras. Sufficiat, quòd vixisti usque ad hodiernum peccator. Id. in Ps. 102. Noli dicere, cras me convertam; cras Deo placebo: & omnia hodierna, & hesternà, dimittantur mihi.

Verum quidem dicis: quia Deus conversioni tuæ indulgentiam promissit; sed dilationi tuæ diem crastinum non promissit. Id. in Psal. 144. Ipsa res est, quæ multos occidit, cum dicunt: cras, cras, & subito ostium clauditur. Remanet foris cum voce corvina; quia non habuit gemitum columbinum. Id. l. 16. de Verb. Dom. Corvus est, qui procrastinat conversionem suam ad Deum. Hugo Card. in Levit. 11. 15.

Accedetisque manè singuli per tribus vestras. Jos. 7. 14. Abulens. q. 42. hinc: quæret aliquis circa Achan, cum audivit, quòd Deus dixerat esse anathema in Israel, & quòd sequenti die erat declarandum; eratque sibi conscius huius sceleris; quare non fugit? Resp. quia in futurum videbat differri, quòd statim facile potuisset inquiri. Quamquam, inquit, audisset verba de declarando peccatore, non credidit futurum. Naxera in Jos. 7. §. 30.

Quæso te, ut hodie hic maneas. in Judic. 19. 6. Hæc est vox diaboli, semper pœnitentiam procrastinantis. Facit cogitare hominem: adhuc poteris parum expectare, & postea facere pœnitentiam, Hugo Card. hic.

Et annos tuos, id est, tempus tibi datum ad pœnitentiam, nè des crudeli. Prov. 5. 9. id est, diabolo, demorando in peccatis. Hugo Card. hic.

Ex Novo.

Succide illam; ut quid etiam terram occupat? Luc. 13. 7. &c. Vineæ cultor rogat: *Domine, dimitte illam & hòc annò: & si quidem fecerit fructum; sin autem; in futuram succides eam.* S. August. l. 31. de Verb. Dom. in futurum succides eam. quando? scilicet cum in Iudicio venies iudicare vivos, & mortuos; interim modò parcitur. Verum unde Augustinus colligit, missum in sequentem annum excidium, usque ad extremi Iudicii spatia prorogandum? quia quòd statim fieri opportunè poterat, in ulterius tempus reservatur. Naxera in Jos. 7. §. 30.

O stulti, & tardi corde. Luc. 24. 25. Abjicienda est tarditas, quæ vitium non festinat expellere, nec nititur adhibere virtutem. Vituperanda mors ad expediens, ubi mors nec sua molimina tardat; & natura tempore, ac vitâ properè procedit in finem; & nihil sistit in rebus, quòd, suis legibus à Deo positis, velocitate non pergat. Sim. Cass. l. 14. hic.

Quæretis me, & non invenietis. Joan. 7. 34. Quinam Christo carebunt? totque mala incurrent? Non qui quærunt Christum; sed qui quærunt. Licet Christum amplexari; & te piget amplexuum? Salus non occurret iis, qui eam quæsitura sunt; sed iis obviam processura, qui eam quærunt. Oliva fer. 2. Pass.

Ego vado, & quæretis me &c. Joan. 8. 21. Ille Christum non quærunt, qui salutem animæ suæ per pœnitentiam non quærunt. *Quærite Dominum, dum in veniri potest:* qui misericordem, dum tempus habet, non quærunt; inveniet eum iratum. V. Beda hic.

Arbores

Arbores autumnales, infructuose, bis mortuæ. Jud. v. 12. Sic vocat peccatores pigros, & lentos; qui de salute sua nullam curam habent. Sicut enim arbores, quæ in autumno florere incipiunt, cum cœtera jam maturos fructus ferunt, serò veniunt, & rarissimè maturescunt, propter frigus superveniens; sic sera pœnitentia rarò vera. Diez. fer. 5. in Cœna Dom.

Ex Patribus, & aliis.

Quid in crastinum differis? potes & hodiernum diem lucrari. Cavendum est etiam, nè & illum non teneas, & hunc amittas. Non exiguum detrimentum est vel unius horæ. Et una hora totius vitæ portio est. S. Ambros. ep. 82.

Ita est peccati pœna justissima: ut, qui rectè facere, cum possit, renuit; amittat posse, cum velit. S. Aug. l. 13. de lib. arbit. c. 18.

Væ nobis! qui tam diu dissimulavimus, & negleximus, quærere vitam; quærere eum, qui bonus est quærentibus se; animæ speranti in se. S. Bernardus l. 2. exhortatorio ad FF. de altitudine & lassit. cordis. Obsecro te, charissime Pater, per omnipotentem JESUM, per sanctos Angelos ejus, per thronum Majestatis ejus igneum; in quo judicaturus est vivos, & mortuos; nè teipsum decipias, nè ulterius differas, nè salutis tuæ remedium, de die in diem procrastinando, animam tuam seducas: sed intra citò, dum licet, in portum conversionis; nè te tardantem repentini opprimant casus; nè te inopinata mortis absorbeat fluctus; & astuantis gehennæ deglutiat barathrum. B. Petr. Dam. l. 4. ep. 4. ad Episcopum Auximanum.

Cum caput cum omnibus sensibus agitatur in sensibus, quasi agitatione capitis continuo insinuant de vita præsentis recessum: vel, si malè vixerint, quasi capite negant, se non posse tunc faciliter emendare. At si benè; jam non faciliter à bonis moribus declinare. S. Bernardinus l. de calamitatibus senectutis. Qualificatus vitii adolescentis vinum claræ juventutis propinavit dæmoni; Deo autem seniles reservavit facies. Redolentem & rubentem rosam portavit in manibus, & olfecit sedule; putentem verò applicavit manibus Christi. Sim. Cas. l. 3. c. 38.

§. XXII.

Pœnitentia in morte.

Ex Veteri.

Fugiamus Israël; Dominus enim pugnat pro eis. Ex. 14. 25. Cum fluctibus obruentur, & nulla esset spes salutis, tunc dixerunt, fugiamus. O homines stultos, qui sæpius admoniti acquiescere noluerunt; in ultimis vitæ peccata fugere cupiunt. Pinna Ethol. 174.

Inter cœteras aves, quas Deus olim, ut immundas, ab altari suo rejiciebat, erat cygnus. Levit. 11. 18. cujus ratio esse videtur; quòd non nisi moriens cantet; reliquo tempore mutus, & quasi in otio stertat. Illi à DEO cygnorum instar reprobandi, qui ætatis florem Deo non consecrant; omnemque cantum, vi-

tæ, inquam, emendationem, otiosi in senium, & mortis tempus, differunt. Besseus. D. 1. post Epiph.

Illo (Absolone) suspensò inter cælum, & terram, mulus, cui insidebat, pertransiit. 2. Reg. 18. 19. Abulens. hic q. 12. notat. multa acciderunt Absoloni hic, à quibus posse liberari videbatur. Nam potuisset tenere equum, nè introivisset subter quercum ramosam: & etiam, postquam introivit, & alligati sunt capilli ejus, poterat ipse tenens mulum silvere illos & fugere. Poterat abscedente mulo, capillos amputare. Vel si non habebat gladium, poterat, manibus tenens arborem, illos solvere, vel rumpere; sed nihil horum fecit. Cur non fecit? quia inopinatò in vitæ periculum adductus, & trepidans, non potuit in illa improvisa perturbatione de liberare de remedio. Nunc, si Absoloni tam præsens, ut facile poterat, non occurrit remedium; quomodo tu, ô cœce, miser, peccator vitam, & conscientiam, tam longis annis, ac multis modis, intricatam; implicatamque, evolves? cum te in illa hora suprema tam justis timoribus undique videbis impugnari. Did. Nils. fer. 5. D. 5. Quadr. §. 2.

Date Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebreat. Jer. 13. 16. Tropol. ante diem mortis, & Judicii, nè offendant pedes nostri ad montes caliginosos, id est, dæmones; agamus hinc pœnitentiam, ad Hieron. tunc enim nullus dabit precem, laudem & gloriam Deo. Qui enim in tempus mortis procrastinant pœnitentiam, quasi tunc viam salutis initiuri; perinde faciunt, atque qui noctu in tenebris, per loca obscura, dubia, prærupta, & latronibus circumfesta, proficisci festinant Cornelius hic.

Ex Novo.

Circa undecimam verò exiit &c. Matth. 20. 6. Dominus horà 12. nullum vocavit ad vineam.

Orate, ut non fiat fuga vestra in hyeme. Matth. 24. 20. quæ ultima pars anni; aut Sabbatho, quod ultima hebdomadæ dies. Pinna Ethol. 174.

Date nobis de oleo vestro. Matth. 25. 8. Tunc primùm Virgines fatuæ de esse sibi oleum cognoverunt; cum adveniret sponsus. Scilicet tunc demum, quantum sibi faciendum superstit, quàm sit utilis pœnitentia, homines agnoscunt, cum mors imminet; cum occasio calva. Id. Ethol. 43.

Ut cognovit. Luc. 7. 37. Genus quoddam desperationis est, differre pœnitentiam in finem vitæ. Did. Nils. fer. 4. D. 5. Quadr. §. 2.

Hodie mecum eris in paradiso. Luc. 23. 43. Nihil magis suspectum, quàm sera, sub mortis horam, pœnitentia: angores enim, quos peccator in extremo illo discrimine patitur, magis oriuntur à futuris pœnis, quos pertimescit; quàm à præteritis culpis, quas paravit. Did. Nils. f. de convers. latronis. §. 6.

Quid faciam. Luc. 16. 3. Ait intrà se, quid faciam modò? semper homo bona facere tunc

tunc cupit, quando mors faciendi tempus ademit. S. Chrysol. f. 125.

Obsecro vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem. Rom. 12. 1. Vivam offert, qui adhuc sanus, ac vegetus corporis voluptates franat: ille mortuam, qui multâ ætate effatum Deo corpus suum offert. Pinna Ethol. 43.

Ex Patribus.

Sculi sunt, qui expectant poenitentiam agere, quando non possunt de ea aliquid cogitare. Anima enim nostra hujusmodi est, ut principaliter ad unum sit: & dum unô aliquô intense afficitur, reliqua minus moveant. Quare fit ut minus de peccato dolere possit, dum sensibili dolore pulsatur in carne. S. Bonaventura f. 30. Dom. infra Oct. Epiph.

§. XXIII.

Pœnitentia post mortem steritis.

Symbola.

Ex Veteri.

Non est in loco nostro consuetudo, ut minores autem tradamus ad nuptias. Gen. 29. 26. Duas filias habet Deus, scilicet duas Ecclesias: triumphantem, quæ est pulchra Rahel; sed sterilis est, quia ibi merendi locus non est; alteram militantem, lippam Liam: quia nihil hic rerum Divinarum, & spiritualium, videmus; sed tantum credimus: est tamen fecunda, & plurimos parit filios. Prius Lia nubere debemus, id est, in Fide vivere; tunc Rahel fruemur. Diez. conc. 3. in festo S. Thomæ.

Septem boves pulchra, & septem spicae plene &c. Gen. 41. 26. &c. Septem præcedentes anni fertiles, tempus vitæ præsentis: quibus adeo Deus implet terram misericordiâ; ut copia ejus nequeat exhauriri. Pl. 118. 64. *Misericordiâ tuâ Domine plena est terra.* Sed postea tanta erit egestas; ut neque pretiô, neque donô, reperienda sit. De Rampelogis. Misericordia Dei. Joseph sapientissimus habitus est, quod consilium Pharaoni suggessisset, ut fertilitatis tempore omnia regni horrea frumento compleret, quod tempore sterilitatis usui foret. Ipse Rex eum laudavit: *Num invenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus est?* v. 38. Et sanè plenus ille Spiritu Dei dicendus est, qui sibi ipsi prius consultit interea, dum magna apparet in Mundo fertilitas, terræque misericordiâ repleta est. De virtutibus, bonisque operibus: ut iisdem, dum maximè opus habuerit, in tempore angusto, gratiarumque in eadè; in qua de sola justitia agatur, utatur. Bessius D. 8. Pent.

Sexto die parent, quod inserant. Ex. 16. 5. Sex diebus vitæ nostræ cibaria comparanda sunt in septimum diem æternitatis: ut iisdem in æterna quiete cœlesti vivamus. Ità Orig. Rupert. &c. apud Cornelium hîc. Est Parasceve nomen Græcum, & interpretatur *preparatio*. Unde sextam feriam sic appellabant Judæi, quia eâ, quæ Sabbatho erant necessaria, præparabant. Parasceve vitam præsentem signifi-

cat; in qua præparari debent necessaria vitæ futurae. Hugo Card. in Marci 15.

Eadem similiter edetur die Levit. 7. 16. Eodem die hujus vitæ consummanda, & peragenda, omnia Fidei, & bonorum operum sacrificia; nihilq; in tertium Resurrectionis, & æternitatis, servandum. Quidquid tertius dies in venerit, ignis absumet. Cornelius hîc.

Si ceciderit lignum ad Austrum - in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Ecclæ. 11. 3. Homines sicut arbores vidit aliquis. Exciditur autem arbor in morte; & quocunque ceciderit, ibi erit: quia ibi te judicabit Dominus, ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter. Videat, quò casura sit, antequam cadat: quia, postquam ceciderit, non adjiciet, ut resurgat; sed nec ut se vertat. Quò verò casura sit arbor, si scire volueris, ramos ejus attende. Unde major est copia ramorum, & ponderosior; inde casuram non dubites; si tamen fuerit tunc excisa. Rami nostri desideria nostra sunt: quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad aquilonem. S. Bernardus f. 49. ex parvis.

Ex Novo.

Tamen enim securis ad radicem arborum posita est. Matth. 3. 10. Vide autem, quòd non ad ramos posita dicitur esse securis, sed ad radices; ut irreparabiliter extirpentur. Auth. Imp. hom. 3. in Matth. Ad radicem posita, ut in æternum non reviviscat. Cajetanus hîc.

Ligatis manibus, & pedibus &c. Matth. 22. 13. id est, operativis ejus virtutibus. In sæculo enim præsentis operari possumus; in futuro autem sæculo ligantur omnes virtutes animæ operative; & non potest aliquid fieri boni in abluitionem peccatorum. Stridor autem dentium poenitentia est; quæ tunc stultè, & inutiliter fit. Theophylactus hîc. *Ligatis manibus*; nè possit operari ad bonum morale: *& pedibus*, nè possit affectum habere ad bonum morale. Cajetanus hîc.

Quinque fatuæ. Matth. 25. 2. Meritò fatuæ: quia, quòd eis futurum erat, prævidere nescierunt, illeceæ terrenis illecebris, sed tardè sibi providere voluerunt, quoniam amplius tempus non erat. Simon Cals. l. 6. c. 28.

Dum autem irent, emere, venit sponsus &c. Matth. 25. 10. Non enim post Judicium patet precum, aut meritorum, locus. S. August. f. 21. de verb. Dom. S. Hieron. exceleserat emendi tempus: nec adveniente die Judicii locus erit poenitentia.

Non poteris villicare. Luc. 16. 2. Quia post hanc vitam non restabit possibilitas ad merendum - Sylveira hîc.

Fodere non valeo. Luc. 16. 3. Glossa: post hanc vitam non est locus fodendi compunctione terram animæ nostræ ad ferendum fructum. Est tunc etiam confusibile mendicare; ut fecerunt fatuæ virgines: imò inutile, & impossibile. Sylveira hîc.

Pater Abraham miserere mei! Luc. 16. 24. Frustra agis poenitentiam in loco, ubi non est poenitentia locus, Tormenta te cogunt agere poeni-

pœnitentiam, non mentis affectus. S. Chry-
sost. hom. de divite.

Descende, priusquam moriatur filius meus.
Joan. 4. 49. Quam prudenter hoc petit, ante-
quam moriatur: nam post mortis momentum
descendit JESUS ad omnes homines ut Judex
severissimus. Secundo, quia post mortem om-
nia, quæ neglecta, irreparabilia. Bæza t. 2. l. 10.
c. 5. §. 3.

Testimonia ex Veteri.

*Remitte mihi, ut refrigerer, & priusquam
abeam, & amplius non ero.* Pl. 38. 14. Re-
frigerari, priusquam abeam, hoc est, antequam
hinc proficiscar: si enim hinc recesserimus, non
accepta per pœnitentiam refrigeratione; non
poterimus eam amplius accipere. Quare?
quia non sumus amplius. Non quod ab eo
deveniamus, ut non sumus, & ab essentia exci-
damus, ut nonnulli existimant; sed amplius non
ero, hoc est, non possum mutari. S. Chry-
sost. hic.

Confitemini Domino, quoniam bonus. Pl.
105. 1. quoniam in isto sæculo tantum miseri-
cors est. Hic misereri poterit pœnitenti; quia
ibi Judex est; non est misericors. Hic porri-
git manum cadenti; ibi sedet Judex. S. Hie-
ron. hic.

Qui congregat in messe (Chald. *qui ope-
ratur in aestate*) *filius sapiens est.* Prov. 10. 5.
aestas, & messis, Symbolum presentis vitæ;
hyems verò status futuri sæculi; ubi nullum est
laborandi, & merendi, tempus. Cornelius
hic.

*Quodcumque facere potest manus tua in-
stanter operare, quia nec opus, id est ope-
randi & merendi locus, & tempus; nec ratio.*
Campensis vertit, *nihil consilii.* Alij *nulla
computatio, nec sapientia, erunt apud inse-
ros.* Eccl. 9. 10. Cornelius hic.

*Memento pauperatis in tempore abun-
dantia.* Eccl. 18. 25. Sic Joseph providit in an-
nis fertilitatis sterilitati futurae. Gen. 41. 47.
Unde Rabanus: ne perdamus otium nobis con-
cessum: quia veniet tempus, quando jam non
licet operari: hoc enim hic tempus pauperatis,
& diem necessitatis, nominat. Hinc Græc. &
Syr. sic habent: *memento temporis famis in
die saturitatis; pauperatis, & egestatis,
in diebus divitiarum;* juxta illud Eccl. 11.
27. *in die bonorum ne immemor sis malo-
rum.* Cornelius hic.

*Memento novissimorum; noli oblivisci:
neque enim est conversio &c.* Eccl. 38. 22.
Rabanus: nunquam oblivioni tradas novissimam
horæ exitum; sed semper paratus esto: quia,
postquam hinc exieris, nequaquam ultra huc
revertens spatium bene operandi habebis.

Ex Novo.

*Ut sciatis, quia Filius hominis habet po-
testatem in terra dimittendi peccata; tunc
ait paralytico: surge tolle lectum tuum &c.*
Match. 9. 6. Theophylactus: vide, quod super
terram remittuntur peccata: quamdiu enim
super terram sumus, poterimus delere pecca-
ta nostra.

Erunt ligata & in celo. Matth. 18. 18. Sa-
lutis negotium in hac vita peragi debet. Nihil
in celo fit circa hominum salutem; nisi ea, quæ
in terris videntur præcta: hinc debes ferre,
sive liberationem, sive vincula. Dum Christus
è Mundo recessurus erat, in terris cœli cla-
ves reliquit: ut scirent homines; quod nisi ex
hac vita secum claves ferant, minime poterunt
in cœlum introire. Bæza t. 3. l. 14. §. 8.

Ubi vermis eorum non moriuntur. Marci 9.
43. Vermis dicit seram scelerum pœnitentiam;
quæ nunquam in tormentis conscientiam af-
flictorum mordere cessabit. V. Beda hic.

Dimittite confractos in remissionem. Luc.
4. 19. Confracti sunt, quorum voluntas per
peccatum infirmata est ad bonum. *Cor fatui
quasi vas confractum &c.* Eccl. 21. 17. Hæc
autem confractio est reparabilis, dum hic vi-
vimus; sed irreparabilis efficitur in morte. If.
30. 14. *comminuetur, sicut conteritur la-
gena figuli &c.* quia non erit susceptibilis gra-
tia. Pl. 2. 9. *tanquam vas figuli confringes
eos.* S. Bonaventura hic.

Venit nox &c. Joan. 9. 4. Præfens vita dici-
tur dies; & mors dicitur nox, vel futurus sta-
tus: quia dies dati sunt ad operationem, & no-
ctes ad quietem. Hugo Card. hic. Hoc dicit
de illo tempore, quod erit post hoc sæculum;
quod unusquisque pro malis suis recipiet pœ-
nas. Tunc ergo dicit noctem illam futuram,
cùm jam nemo potest operari aliquid; sed unus-
quisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ
hic positus operatus est. Orig. hom. 3. Plal.
36.

Inclinans se, divitò scribebat in terra.
Joan. 8. 6. peccata Phariseorum: ut significa-
ret; quàm facile iis remitterentur, si veram pœ-
nitentiam agere vellent. Jer. 17. 1. dicit Deus.
peccatum Judæ scriptum est stylo ferreo.
Quæ verba aliqui intelligunt de Judæis jam
damnatis, q. d. scriptum est indelebiter & irre-
mediabiliter: quia nullò unquam tempore dele-
bitur. Peccata verò peccatorum, quamdiu in hoc
sæculo vivunt, sunt quasi characteres in terra
descripti, qui facile delentur. De leigitur illa,
dum potes. Diez. Sabb. D. 3. Quadr.

*Ambulate, dum lucem habetis, ut non vos
tenebra comprehendant.* Joan. 12. 35. Per lu-
cem vita, per tenebras mors, intelligitur. Dum
igitur vivimus, & sani sumus; ad pœnitenti-
am, & satisfactionem, curramus; ne tenebris
noctis præventi, velimus & nequeamus. S.
Honorius l. in Quadrag.

*Venit Princeps hujus Mundi, & in me
non habet quidquam.* Joan. 14. 30. O illum
felicem? qui sic debita solvit, ut veniens in
morte Mundi princeps in eo non habeat quid-
quam. Debita habemus omnes; sed solvere
illa possumus ex thesauris Domini, per pœ-
nitentiam, & Sancta opera. Qui ita solvunt,
ut nihil in eis diabolus reperiat, mox ad Pa-
trem vadunt. Barradius t. 4. l. 4. c. 9. D.
Pent.

Ex Patribus, & aliis.

Hic, dum tempus est, quidquid potest ani-
ma, agat pro se, ubi locus est misericordia:
nam

nam ibi, quod pro se agat, non habebit; quia iustitiae solius locus erit. S. August. l. 3. de Symbolo c. 8.

Triste, ac miserum est; cum nundinae effluxerint, tum demum negotiationem querere. Miserum est, cum manna praeierit, tum cibum appetere. S. Gregor. Naz. or. 40. in Baptisma.

Mercaturam hanc vitam existima: si negotiatus fueris, quaestum facies; parva magnis, caduca sempiternis, commutans. Quod si nundinarum tempus tibi fluere sinas; nullum aliud es postea habiturus. Idem in sententiis.

Quemadmodum fons neminem ab aqua sua arceat ita gratia thesaurus nullum prohibet hominem, cur minus particeps illius reddatur. Modò igitur voluntas accipiendae gratiae adfuerit, illico totus thesaurus gratiae patebit. Haurite ex hoc fonte, charissimi, coelestium donorum rivos, atque fluentia, dum licet. Tempus enim veniet, & hora, quando ex eo bibere; ac sitim extinguere, planè nemini licet. S. Ephrem. de timore Dom.

Rapiamus de praesenti saeculo ferventi devotione, quod possumus. Citò transeunt dies nostri: utinam bene transeant! rapiamus ergo, quod possumus, de hoc saeculo. S. Casarius Arel. hom. 1.

O quam luctuosa, quam lugubris, est fera, & infructuosa, illa poenitentia; cum peccatrix anima jam incipiens carnis carcere, quò inclusa tenebatur, absolvi; respicit post se, dirigit oculos ante se; Videt post se velut angustissimum, atque brevissimum, stadium vitae mortalis emensum; videt ante se interminabilem longitudinem saeculorum. Perpendit quasi momentum temporis celeriter evolasse, quod vixit; contemplatur prolixitatem temporum inflare, quam incipit. B. Petr. Dam. l. 5. ep. 3.

Pensandum est, cum jam peccatrix anima à vinculis incipit carnis absolvi; quam amarò terrore concutitur, quantis mordacis conscientiae stimulis laceratur. Recolit vetita, quae commisit; videt mandata, quae complere contempsit. Dolet indulta poenitentiae tempora sese inaniter perdidisse; plorat immobilem districtae ultionis articulum inevitabiliter imminere. Manere satagit, ire compellitur; recuperare vult perditam, non auditur. Post terga respiciens totius transactae vitae cursum, velut unum brevissimum deputat itineris passum, Ante se oculos dirigit, & infinitae perennitatis spatia deprehendit. Id. l. 7. epist. 19.

§. XXIV.

Poenitentia non sit remissa, brevis, tepida &c.

Num. 1.

Figura, Symbola.

Ex Veteri.

Cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus stante vento vehementi, & urente tota nocte, & vertit in sicum. Ex. 14. 21. O quam vehementis Spiritus argumentum! nec remansisse li-

num, nec humorem; inter medios vortices nullum antiqui liquoris spectatur signum, Sic in melius animus transformandus; ut nullatenus extet veltigium vetustatis. Naxera in Jos. 14. §. 45.

Ingressi sunt filii Israel per medium siccis maris. Ex. 14. 22. Filii Israel, intraturi terram promissionis in desertum, transferunt per mare rubrum: ut per mare noter amaritudinem poenitentiae, sed per ruborem maris magnitudinem amoris: quia dolor debet procedere ex amore. S. Bonaventura l. 49. Per mare notatur status poenitentiae: quia quamvis sit mare valde amarum, & procellosum; nihil tamen retinet sordidum, & immundum; sed omnia projicit extra suum alveum. Sic & poenitentia: videtur amara; sed per eam projiciuntur omnia sordida; & remanet anima tota munda Id. ib.

Lavare septies in Jordane. 4. Reg. 5. 10. Lavit; & senio, positò novam juventutem induit. Non cum primum aquis se immergit; sed cum septies lavat, mundatur. Baeza t. 3. l. 14. c. 10. §. 35.

Non invenerunt ignem, sed aquam crassam. - Urque sol resulsit, accensus est ignis magnus. 2. Machab. 1. 20. 22. O quam reulsit verus sol, dum aqua transivit in ignem! Divina coruscet gratia, dum aqua transivit in ignem; dum proprium adeò nudavit ingenium; ut induerit prorsus contrarium. Jam flamma levis, quod unda gravis; jam tendit sursum, quod nuper deorsum: jam ardet, quod antea frigit; splendet, quod obscurum erat. Naxera ante citatus. Accensus est ignis magnus post asperionem aquae: quia, cum poenitens bene recordatur peccati, accenditur in eo fervens dilectio Dei. Bene autem dicitur *ignis magnus*: quia, *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia.* Rom. 5. 20. Stephanus Cantuar.

Ex Novo, & alijs.

Invenit scopis mundatam. Matth. 12. 44. id est, leviter: ornata, hoc est, superficialis ornatus. Mundatio perfecta debet cum igne fieri. S. Thom. Aqu. hic.

Prædicans baptismum poenitentiae. Luc. 3. 3. Euthymius: dicunt aliqui, quòd unumquemque baptizatorum in aquam ad collum usque immisum detinebat Joannes, quousque peccata confiteretur sua; & post confessionem ascendebat de aqua. Nonne sufficeret levis intinctio ad peccatorum remissionem, sicut in baptismo? Joannis ablutio poenitentiam, non baptismum, praesignabat; & ideo non levi lavacro erat perficienda. Ad collum usque immergatur oportet, qui de multis gravibus criminibus poenitentiam vult agere. Escobar tr. 3. Coll. Chr. l. 4. Sect. 2. Obs. 3.

Ut intingat extremum digiti sui in aquam. Luc. 16. 24. Petrus Cell. l. de pan. c. 15. in divite contemplatur peccatorem, qui taretò vitiorum igne ardet. Parum, inquit petiit; & ideo fortè non impetravit: parum, inquam, petiit, quia non in aquae stilla, sed in sanguine, flamma hæc infernalis extinguitur.

Non

Non, enim levi, & momentaneâ, compunctio-
nè gravis culpa detergitur; sed eò usque pe-
netrare debet vis doloris; quod usque penetra-
vit iniquitas. Id ib. Plenam manum, non ex-
tremum digitum, in aqua tinctum, exposcat
conscientia de gravibus confitens: nec alte-
rius tamen, sed propriò digitò, velit movere,
& amovere, pœnam, quam malè animum mo-
vendo sibi admovit. Petrus Cell. l. de panib.
c. 25. Tingat digitum in locum flavorum, &
mittat manum suam in latus Salvatoris: ut, si-
cut animam suam pro nobis posuit moriendo
ipse Dominus; sic iste conscientiam suam pro
se exponat confitendo, & pœnitendo. Id. ib.
c. 15.

Infremuit Spiritu, & turbavit seipsum.
Joan. 11. 33. Ante suam Passionem Lazarum
resuscitaturus quatuoriduanum, flevit mortuum,
infremuit Spiritu, & volens turbavit seipsum:
ut nobis significaret, quomodo flere, fremere,
& turbari, debeamus; cum peccatis mortui
eorum nimia mole premimur; si reviviscere
desideramus. S. Eligius Novar. hom. 4.

Nisi videro, & mittam digitum meum.
Joan. 20. 25. Quò lavaciò abluenda tanta ini-
quitas? Dominus, exposuit; *inser digitum
tuum huc, & asser manum tuam.* v. 27.
Mundaberis ó Thoma, à crimine, si non so-
lùm digiti extremò aquæ stillam accipere stu-
deas; sed è pelagiò profundissimo Deifici san-
guinis cures manus impleri ex abundantia com-
punctionis. Escobar antè citatus.

Magna fornax est pœnitentia, charissimi:
aes accipit, & illud in aurum commutat; plum-
bum tollit, & argentum reddit. S. Ephrem, de
pœnit.

Pœnitentia est renovatio baptismalis: pœni-
tentia est corporeæ consolationis perpetua, &
jugis, repudiatio. Pœnitentia est, seipsum sem-
per condemnans cogitatio, securaq; cuiusque
sui cura. Joan. Clim. gradu 5. de pœnit.

Baptizari iterum non possumus; & tamen
vice baptismatis contra quotidiana peccata fon-
tem lacrymarum habemus. Et si sæpius bapti-
zari prohibemur per aquam; nunquam prohi-
bemur per pœnitentiam. Hugo à S. Victor. in
Psal. 41.

Num. 2.

Exempla Job, & David.

Peccavi! quid faciam tibi? Job. 7. 20. S.
August. l. de vera, & falsa pœnit: q. d. adeò do-
leo peccasse, quòd non velim contra me te non
vindicare: quæro enim in me, quid supplicii
possim excogitare, quòd tibi possit sufficere.

Peccavi! Ait Saul. 1. Reg. 15. 24. Sed & Da-
vid idem ait 2. Reg. 12. 13. S. Casar. Arel. hom.
29. Et Saul dicebat, *peccavi*; sed non obtinuit
illam veniam, quam David unâ pœnitenti vo-
ce promeruit. Et hoc quare? quia confessio-
nem illam nuda magis verba, quàm veri ge-
mitus, exprimebant: quia non compensa-
bat magnitudinem criminis levis humiliatio
supplicantis. Non levi agendum est contri-
tione, ut debita illa redimantur, quibus mors
æterna debetur: nec transitoria opus est satisfactio-

Polyanth. Sacra Tom. 4.

tionem pro malis illis, propter quæ paratus est
ignis æternus Bæza t. 2. l. 12. c. 2. §. 2.

At ille noluit bibere. 2. Reg. 23. 16. Lice-
bat ei bibere, si voluisset; sed quia illicita se fa-
cisse meminerat, laudabiliter & à licitis abstine-
bat. S. Gregor. l. 9. regiltri ep. 39. Quia illicita
perpetrasse se meminerat, contra semetipsum
jam rigidus, etiam à licitis abstinebat. S. Gre-
gor. hom. 34. in Evang.

*Laboravi in gemitu meo: lavabo per sin-
gulas noctes lectum meum; lacrymis meis
stratum meum rigabo.* Psal. 6. 7. David unâ
nocte peccavit; & quotidie lacrymatus est. S.
Ephrem. de pœnit. Quid faciunt nunc pecca-
tores? peccant noctibus plurimis, offendunt
Deum diebus multis; & horâ unâ, unòq; mo-
mentò, volunt expiare peccata, abolere offen-
sas, eradere maculas, compensare tot annorum
inurias. Jugibus lacrymis diluendum, quòd
semel actum malè. Did. Nils. ser. 5. D. 5.
Quadr. Non contentus tamen, oculos ver-
tisse in flumina lacrymarum, ait Ps. 37. 18.
*quoniam ego in flagella paratus sum, &
dolor meus in conspectu meo semper.* q. d.
Deus meus! si lacrymarum, quas pro dolore
immanium scelerum meorum effudi, copia mi-
nor est, quàm ut eorum fœdas maculas dilue-
re queat; ecce me promptum, paratumque;
ut, tanquam abjectissimum Mundi mancipium,
in dies singulos efflicium cædas. Quid porro
addit? *Et cogitabo pro peccato meo.* Hebr.
apud Genebrardum, *anxius ero, sollicitus
ero, pro peccato meo.* Hoc est: post tot la-
crymas, gemitus, opera pœnalia; cogitabo
anxius, & sollicitus; quâ animadversione præ-
terea, quòve supplicio, me plectere, & pecca-
ta mea expiare deinceps debeam. Did. Nils.
ser. 2. D. Palm. §. 2.

Laboravi &c. Ps. 6. 7. id est, tam ingenti
fletu peccata mea desievi; ut fatigatus sim. In
quo speculo se intueri deberent, qui plurima, &
gravissima peccata committunt; & vix pau-
cas lacrymæ guttas emittere valent; cum re-
missionem à Deo querunt. Bellarminus in
Psal. 6.

Amplius lava me. Ps. 50. 4. Studiosè de-
bet dilui, qui criminum venenò obfuscatus
est. Amplius, id est, usquequaque, undique,
ab omni parte. Cassiodorus hic.

Et peccatum meum contra me est semper.
ib. 5. Lapsus est David semel; semper flevit:
hæc enim pœnitentiæ vis est; quæ hominem
ita ad se rapit, ut unam tantùm mediteretur,
& moliatur, sceleris ultionem. Oliva l. 5.
Strom. §. Et peccatum meum &c.

*Cinerem, tanquam panem, manduca-
bam.* Psal. 101. 10. Cinerem novimus exuf-
torum reliquias esse carbonum: quas meritò
dicimus peccatis comparari: ut ipsa quoque
tenuitas delictorum, afflictionum doloribus
absumatur. Nam, quamvis exiguum de
peccato remaneat, non perducit ad vitam.
Meritò ergò & ipsos cineres peccatorum san-
ctissimus pœnitens consumere festinabat; nè
quid esset residuum, quòd eum prometeri non
sineret regna cœlorum. Cassiodorus hic.

Ppp

Num.

Num. 3.

Ex Novo.

Facite ergo fructum dignum penitentiae. Matth. 3. 8. Est fructus penitentiae dignus, perseverare in operibus penitentiae; nihil contra penitentiae professionem admittere; facere Deo satis pro peccatis commissis. Cajetanus hic. Dignos fructus penitentiae facit; qui conversus tanto studio servit veritati, quanto ante servivit vanitati, & diabolo: ac tam ferventer amat Deum, quam ante amavit carnem, & Mundum; juxta Rom. 6. 19. *Sicut exhibuistis &c.* Alium penitentiae fructum dignum judico; si virtutis amor praevaleat amori, quem quis habuit in his, quibus antea peccavit; & delectatio bonitatis delectationem nequam exsuperet. Sim. Cas. l. 3. Luc. 3.

Tristis est anima mea usque ad mortem. Matth. 26. 38. In quo, quid penitens debeat facere, demonstratur: debet enim esse tristis usque ad mortem veteris hominis. Hugo. Card. hic.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Luc. 7. 47. Licet Magdalena abundanter fleverit, pedes lacrymis laverit, capillis terferit, pedes osculata fuerit, & unxerit; tamen illis non attribuitur remissio; sed soli dilectioni: quia sine dilectione parum valuissent. Idiota l. 1. de am. Dei. O quot Magdalena penitens Domino praestat obsequia! lacrymis pedes abluit, comam tergit, ungit, osculatur. Addit S. Chrysol. haec quidem agebantur exterius; sed, quae interiorius revolvebat, multo erant his ferventiora. Quod tot affectus? tot obsequia? quia restauratio gratiae non sine ingenti labore perficitur. Penitentia apte vocatur tabula post naufragium, quia restauratio gratiae laboriosior. Qui vehitur navigio ventis secundis, nullam operatione disturbatur: at quia tabula post naufragium utitur, magno labore afficitur, ut ad litus perveniat. Baptismus navigium tabula penitentia. Escobar t. 3. Coll. Chrp. 2. Sect. 3. Obl. 10.

Date annulum in manum ejus. Luc. 15. 22. Annulus in manu, fides est in operibus. Nec decet conversum peccatorem, cui gratia est indultum, a pigritia detineri; magis autem operari ardentius, quo sceleratius se fecerit. Calcamenta pedum ex rebus mortuis, non ita humanorum affectuum sunt, quibus mortis infixae memoria, evocantur a turpibus, & ejus metu a malis voluptatibus absterrentur. Sim. Cas. l. 6. c. 16.

Maria accepit libram unguenti. Joan. 12. 3. Non otiose notata est libra unguenti: ut ostendatur, quam aequalis, & justa debeat esse satisfactio pro culpis commissis. Baeza t. 2. l. 12. c. 2. §. 2.

Fides tua te salvam fecit. Luc. 7. 50. Vifa est penitens mactissima absolventis verba non percepisse: nam, quasi Christus illi bellum indixisset, non pacem dedisset, ab eo tempore in sese immisericos servit; & aetate meliore lugendo consumpta in Bethania, &

Calvario, in speluncam Massiliensem sese abdidit: ubi per totos triginta annos omni martyrij genere se cruciavit. S. Gregor. hom. 33. in Evang. consideravit, quod fecit; & noluit moderari, quid faceret. Olyva t. 2. conc. 2. in festo Imm. Conc.

Ex Patribus, & aliis.

Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, ingemisceres dolenter, & fleres; facie inculata, veste mutata, resecto capillo: vultu nubilo, ore dejecto, indicia mororis ostenderes. Animam tuam misera perdidisti; spiritualiter mortua supervivere hic tibi, & ipsa ambulans funus tuum portare, coepisti; & non acriter plangis? non jugiter ingemiscis? S. Cyprianus l. de lapsis. in fine.

Nè putebis, quòd, cum haec semel fecisset, deinceps se quieti tradiderit, & laxamentò usus sit; sed hoc assidue fecit per totam vitam: non sicut nos, qui unò die ut plurimum laborantes; atque adeò nè unò quidem, nos ipsos risui, voluptati, & otio, tradimus. S. Chrysol. in illud Ps. 6. 5. *lavabo per singulas noctes &c.* Totò corde debet respiciens penitentiam agere, semperque eundem se exhibere, ut inceperat. S. Ephrem de poenit.

Continuanda nobis est Quadragesima cunctis diebus miserae hujus vitae; dum per auxilium gratiae (quae in quatuor Evangelii commendatur) necesse est nos decalogum legis implere. Errant planè, qui paucissimos dies istos ad penitentiam sufficere credunt: cum certum sit; totum vitae hujus tempus non nisi ad penitentiam institutum. S. Bernardus l. 3. in capite jejunii.

Erubescat anima conversa ad Dominum, minori affectu sectari iustitiam, quam iniquitatem antea sectaretur. Pudeat proinde negligentius nunc in vitam, quam prius in mortem, ire; & minori studio salutis acquirere, quam perditionis, augmentum. Id. epist. 341.

Quomodo solet mater super mortuum filium unicum lamentari; sic oportet super unicam animam nostram, criminis gladio interfectam, totum pondus doloris effundi; si forte possit lacrymarum fomentis, calore fidei, suscitari. B. Casar. Arel. hom. 10.

Ad contritionem invitavit Jeremias 6. 26: *luctum unigeniti fac tibi planctum amarum.* Amarò quidem luctu configitur cor mulieris, cum unicum filium perdit: quanto magis homo, qui solum unicum spiritum habet, pro quo alterum nequaquam ponere potest, amarò luctu lacrymari debet; quem utique perdit, cum mortaliter Deum offendit. S. Bernardinus t. 1. l. 12. arc. ejusd. ferm.

§. XXV.

Poenitentia sit constans, sine relapsu.

PER quadraginta annos errat populus in deserto, ut priorem iram non inveniat; nè ad Aegyptios revertatur. In Oleea c. 2. quòque sepiun-

tepiuntur semitæ Jerusalem, & clauduntur spinis; nè sequatur amatores suos; & necessitate compulsa, revertatur ad virum suum pristinum. S. Hieron. in Jer. 63.

Lavamini mundi estote. Isa. 1. 16. Monet, ut persistat in pœnitentia. S. August. l. 66. lavatur, & mundus est; qui & præterita plangit, & iterum non admittit. Velloso in Judith. 5. Paræn. 42.

Si quis vult post me venire, abneget semetipsum. Matth. 16. 24. Nemo potest ire post Christum, nisi denegaverit se. Denegat autem seipsum, qui priorem vitam suam malam bonâ conversione relinquit. Origenes tr. 8. hic.

Debet quisque abnegare semetipsum; non quod homo sit, non quod Fidelis; & Christianus; sed, si idololatra fuit, si Infidelis; si adulter, & fornicator; si cupidus & avarus; talem se non esse neget, talem se non esse ostendat. Ostendat autem non voce tantum, sed operatione. S. Euseb. Emis. hom. 1. in Natali unius Martyris. Tunc nos abnegamus, dum vitamur, quod per vetustatem fuimus; & annititur, quod per novitatem vocamur. V. Beda l. 3. c. 16. in Matth.

Ut cognovit &c. Luc. 7. 37. Post lacrymas illas, quibus lavit pedes Filij Dei; post illam solutionem capillorum suorum, quâ pedes eisdem extersit; post oscula, quæ infixit; post effusionem unguenti, quod illum unxit; jam nec oculos ad concupiscendum aperit; nec ut amatoribus placeat, capillum comit; nec, os suum à fræno pudicitie solvit; nec odoribus aromaticis factorem luxuriæ pascit. S. Rutilus l. 10. in c. 11. Joan.

Et ambulabat. Joan. 5. 9. Peccator interiori sanitate respirans, non amplius ferias in spiritualibus agat. Ambulet; sed in lege Domini, Sim. Cais. l. 5. c. 27.

Ubi emendatio nulla, pœnitentia necessariò vana. Tertull. l. de pœnit. c. 1.

Agere pœnitentiam, nihil aliud est, quàm profiteri, & affirmare, se ulterius non peccaturum. Lactantius l. 6. div. instir.

Pœnitentiam agere, est, & perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare. S. Gregor. hom. 34. in Evang. ante finem.

Perfecta autem est pœnitentia, præterita desistere, & futura non admittere. S. Isidorus Originum l. 6. c. 19.

Labor sine fructu est, & spes vanissima; sic peccata plangere, ut non desinatur peccare. Id. Exhort. ad pœnit.

§. XXVI.

Pœnitentia publica.

Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt; & mundamini, ac mutate vestimenta vestra. Gen. 35. 2. Dicebat Jacob, devastatâ Sichem, convocatâ omnî domo suâ. Hoc est, ut explicant Carthus. Abul., Corn., pro vestibus induite saccum, sive cilicium; in signum pœnitentiæ, ac respicientiæ. Adve. Polyanth. Sacr. Tom. II.

ram pœnitentiam fat erat cordis contritio; cur vult vestimenta maculari? Lyranus: ut per mutationem vestis exterioris intelligatur mutatio vitæ interioris, ad statum vitæ melioris. Sylveira in Luc. 7. c. 15. q. 7.

Recedite de medio Babylonis, & te terram Chaldaeorum egradi mini. Hoc est, de tota provincia, & circumstantia peccati: *& estote quasi hædi ante gregem.* Jerem. 8. 8. id est, sicut fuistis prævii in peccato; sic duces sitis aliorum in via justitiæ, per bonum exemplum. Hugo Card. in Gen. 19.

Vade in pace. Luc. 7. 50. Flevit peccata sua copiosè Magdalena, & David; sed exitu dispari: nam illi dicitur, *vade in pace.* David autem, in expiationem sui criminis præliò laessitur, petitur lapidibus Semei. 2. Reg. 16. 13. & jaculis Absolonis. Num gravius peccator, quàm peccatrix, erravit? aut hac ille parcius flevit, quin dies omnes suum scelus deslevit. Cur ergo illa flendo pacem consecquitur? hic in ferrum incidit? scilicet palam lacrymatur Magdalena: rigat David suis fletibus per noctes singulas lectulum suum; non aulam Pharisei. Oliva l. 1. Strom. §. Lectulus noster floridus.

Ut cognovit &c. Luc. 7. 37. Non illò die conversâ est, quò pedes Domini unxit; sed ante aliquot dies per famulos exploravit frequenter; quò Dominus abiisset. Audit, in templum ivisse; non occurrit; dixit enim intrâ se: qui in templo luget, laudatur. In Sylvam cum suis secessisse intellexit; non ivit: peccatrix enim in solitudine lugere potest, rubere autem non potest. Residere Christum in domo Matris suæ nuntiavere servi: absit, inquit, ut illuc eam: plorantem enim me MARIA non modò solaretur, sed & oscularetur; atqui ego clavos quero, non oscula. Ubi verò accubuisse Christum percepit in domo Pharisei, hominis de genere malitioso; exclamavit: ecce nunc dies salutis! non enim lugebò tantum, sed & tubebo: quantum effundam unguenti in pedes Domini, tantum ephebi, famulique in me profundent injuriarum. Nullus incuset locum, quia Maria in domo leprosi & lugere novit, & purgari. Oliva l. 10. Strom. §. ut cognovit. Eligo jacturam pudoris, nè subeam dedecus non amantis: sciens, facilius posse sarcini frontis damna, quàm fidei. S. Ennodius l. 7. epist. 27. Quia sua peccata clarè advertit, dignè pensavit; seipsam profundissimè humiliavit, ineffabiliterque contempsit. Ideo non solum non verebatur confundi, despici, irrideri: imò omnia ista optavit; ut Deo, quem ipsa inhonoravit, aliquam recompensationem, honorèmq; faceret: dum, sicut ipsa Deum maxime inhonoraverat per peccata, sic propter illum honorem recompensandum, seipsam probet maxime confundendam. Dion. Carth. hic Cur Christum non invitat in propriam domum? quia publica peccatrix, publicam egit pœnitentiam. Sylveira hic.

Et descenderunt uterque in aquam. Act. 8. 38. Eunuchus magnam familiam habebat; nec tamen coram illis se nudare, ac lavare; trubuit;

erubuit; dum coram Deo de propriis verecundabatur peccatis, Dion. Carth. hic.
Vide Pudor.

§. XXVII.

Pœnitentia impendit Deo, virtuti, quæ prius peccato.

Fecit et labrum æneum de speculis mulierum. Exod. 38. 8. Vide priscam devotionem, & ritum, quò sanctæ mulieres, præsertim cum se totas DEI obsequio dicebant, sua specula, & ornamenta; per quæ antea vanitatis, & Mundo, servierunt; jam conversa secum pariter DEO consecrabant &c. Cornelius hic.

Judic. 6. 25. 26. præcipitur Gedeoni, destruere aram Baal, & nemus, quod ejus cultui dicatum erat; & offerre sacrificium super struem lignorum, quæ de nemore succidisset. Vult DEUS, ut nemus, quod antea Baal inservierat, jam nunc DEO incipiat deservire, Rom. 6. 19. *Sicut exhibuistis &c.* Olorius fer. 2. Dom. Pass.

Lavo per singulas noctes lectum meum. Psal. 6. 7. S. Basil. Seleuc. or. 17. per oculos contra jaculatus est, & lacrymis diabolum convulserat. Pugnat; ut lacrymis ab offensione se vindicet: lamentando victoriam acquirit; & gemitibus gratiam trahit, luctum luctu medicatur. Vindicabat lacrymis concupiscentem oculum. S. Cyrill. Jeros. Catech. 2.

Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam. Ps. 118. 136. Genezardus: quia peccavi oculis; & oculorum concupiscentiâ; per oculos satis-feci, copiosè lacrymando. Apud Sylveira in Luc. 7. 9. 13.

Constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Isa. 2. 4. Quando id factum, ut gladii, qui sunt ad perdendam vitam, convertantur in aratum, & instrumentum alendæ vitæ? Et lanceæ, quæ sunt ad occidendum, sint pro metendis alimentis? Hoc totum videmus in Paulo impletum, ait Tertull. 1. adv. gnost. c. 13. Paulus Apostolus de persecutore, qui prius Ecclesiæ sanguinem fudit, postea gladium stylò mutans, & convertens macharam in aratum; lupus rapax Benjamin, Dein afferens ipse escam: Sylveira in Act. 9. 9. 2.

Lacrymis capit rigare pedes ejus. Luc. 7. 38. Quod sibi turpiter exhibuerat, hoc jam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat; sed hos jam, per pœnitentiam conterens, flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed jam capillis lacrymas tergebat &c. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum numerum criminum: ut totum serviret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa. S. Gregor. in Evang. hom. 33. de pœnit. Magd.

Tolle grabatum tuum, & ambula. Joan. 5. 8. Animus miser diu ad voluptates corporis ferculo portatus fuit: mutatis vicibus jam animus

fit ferculum corporis; illud ad mandatorum Dei præscripta de portaturus. Escobar. t. 1. mir. Chr. l. 5. Sect. 2. Obs. 8.

Petit ab eo epistolas in Damascum. Act. 9. 2. Cur Saulus à Pontifice non petit mandata, sed epistolas? non decreta, provisiones? Perpende profundam Dei sapientiam: postulat illas ad Ecclesiam Dei destruendam: Ordinatur Deus, ut ipse scribat, & nobis det epistolas divinæ sapientiæ plenas; ad fundandam, & illustrandam, Ecclesiam. O mutatio dexteræ Excelsi! qui sic rerum ordinem, ac stylum, immutat; qui sic hostilia arma convertit in auxilia, & patrocinia. Et sic manus armata cum epistolis ad repugnandam Ecclesiam, fit manus armata cum epistolis ad fortiter pugnandum pro defensione ipsius Ecclesiæ. Sylveira hic. q. 2.

Ita levia peccata plangebat; ut illam gravissimorum criminum crederes ream, Cumq; à nobis crebrius moneretur, ut parceret oculis, & eos servaret Evangelicæ lectioni; & aiebat: turpanda est facies, quam, contra Dei præceptum, purpuris, & ceruisâ, & stibio, sæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu: mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda. S. Hieron. ep. 27. ad Eustoch. Epitaph. Paulæ!

Quibus rebus provocasti Deum, per has rursus facito propitium, S. Chrysost. orat. de B. Philogonio.

§. XXVIII.

Pœnitentia satisfactio.

Confugit ad Dominum, pavens periculum-cumque deposuisset vestes regias &c. Eth. 14. 1. 2. Hæc bona erat dispositio ad misericordiam Dei impetrandam. Diezler. 5. D. Pass. *Irascimini, & nolite peccare.* Psal. 4. 5. Quid est homo pœnitens, nisi sibi ipsi irascens. Glossa hic.

Sicut fragmen mali Punici, ita gene tuæ. Cant. 4. 3. Gilbertus l. 25. in Cant. bona equidem hæc fractio, per quam interior coepit virtus eminere; & quæ in carnis cortice continebatur, erumpere gratia: per hæc fragmenta salutis se nobis ubertas effudit. Audiant hæc peccatores ij, qui sibi blandiuntur de intima animi contritione, cum nihil paciantur in splendore vultus in ornatu corporis, in abundantia convivii, in risu, in hilaritate, non esse integrum, Baeza t. 3. l. 15. c. 7.

Odit animam suam. Joan. 12. 25. qui abhorret, qualem fuisse meminit, præteritam vitam suam; qui conversus ingemisit, & seipsum punit per pœnitentiam. *Iste in vitam æternam custodit animam suam.* S. Rupertus Abb. l. 1. in Deut. 24.

Qui pœnitentiam agit, paratus esse debet ad opprobria perferenda, injuriæque subeundas; nec commoveri, si quis ei peccati sui crimen objiciat. - Ergo qui pœnitentiam agit, offerre se debet ad pœnam, ut hic puniatur à Domino, non ad supplicia æterna servetur! nec expectare tempus; sed occurrere divinæ indignationi. S. Ambrosi, in Ps. 37. in initio.

§. XXIX.

§. XXIX.

Poenitentia semper, etiam in morte, bona.

ET missa aqua lavabunt in ea Aaron, & filii ejus, manus suas, ac pedes; quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii. Ex. 30. 18. 19. 20. Tunc Aaron, & filii ejus; debent in eo lavare manus, & pedes, id est, peccata operis, & affectionis, per poenitentiam diluere; maxime quando ingressuri sunt tabernaculum testimonii. Ita & nos oblaturi, & reddituri, Deo animas nostras in morte, tanquam thimiam redolens suave, debemus prius à peccatis omnibus ablui. Hugo Card. in Joan. 7.

Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pl. 140. 2. Elevatio manuum significat opera pia, quæ in elemosynis exercetur. Sacrificium verò vespertinum illam oblationem significat, quam in fine vitæ Domino solet offerre religiosa devotio, cum poenitentiam gerimus. Vespera enim nostra est, quando illam lucem morte veniente deserimus. Cassiodorus hic.

Parabola vineæ. Matth. 20. 1. Docet nos quòd in senectute etiam liceat respiscere, & regnum cælorum assequi: hæc enim undecima hora est. Theophylactus hic.

Bene beatus plane, qui vel in senectute correxit errorem. Beatus, qui vel sub ictu mortis animum convertit à vitis. S. Ambros. orat. funebri de obitu Valentini Imp. sub initium.

Christus in paradysum de cruce latronem intulit. Et nè quis aliquando seram conversionem putaret, fecit homicidii poenam Martyrium. S. Hieron. ep. 58.

§. XXX.

Poenitentia aliis suadenda, prædicanda.

QUandocunque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam. &c. 1. Reg. 16. 23. Saul in eo, quòd, David citharam percutiente, refocillabatur, & levius habebat & recedebat ab eo spiritus malus inimicos Dei significat, pro parte illorum, qui audità dulcissimà prædicatione Christi, ad poenitentiam invitantis, ad fidem ejus convertuntur; & refocillantur, depositis peccatorum oneribus; & per confessionem recedit ab eis diabolus. S. Rupertus l. 2. in lib. Reg. c. 2.

Erubescant, & conturbentur &c. Pl. 6. 11. Intuere, quam sancta est conscientia poenitentis. A peccatis suis facta libera, mox pro suis inimicis, ut convertantur, exorat: ut, sicut ille suscepit veniam, ita & inimicos ejus ad Domini gratiam redire contingat. *Avertantur retrorsum;* ut non permittantur ire, quò tendunt; sed cum redeunt, ab Inferni foæa liberantur. *Et erubescant valde velociter.* O desiderium sanctæ mentis eximium! quis enim in causa sua amplius petere potuit? Talium itaque Dominus miseretur, qui misere-

cordiæ momenta non negligunt: *beati misericordes!* Cassiodorus hic.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Pl. 50. 15. David geminò notatus, adulteri, cædisque stigmatè, inusitam criminum infamiam abolendam sibi statuit peccatorum curatione, aut certè curâ. Ratus scilicet, tutiorem sibi ad veniam aditum patere nusquam, quàm si non caveam sibi ad lugendum, sed cathedram ad docendum exstrueret. Oliva l. 1. Strom. §. Tu aliquando conversus &c. David, cum in expiationem criminis sui charitatem Patris flagitare; non eâ usurum se in cultum Numinis protestatur, sed in culturam iniquorum. *Redde mihi latissimam salutaris tui &c.* Pl. 50. 14. Quòd te convertes? ubi te Spiritus Dei, qui amor est, infunderit ad salutem? quibus Deum hostiis honorabis? nullis. *Si voluisses, dedissem utique.* Quid ergo amore plenus Domino exhibebis? *docebo iniquos vias tuas.* Ergo paraclètò inundatus David, non figendis Deo osculis vacabit, sed extergendo sceletorum puri, manus, spongiaeque, admovebit: non ignorans, amantiorum se fore Nominis; si fratri diligentius, quàm Deo, famuletur. Oliva l. 2. Strom. §. filia Jerusalem nolite flere &c.

Vox turturis audita est in terra nostra. Cant. 2. 12 id est, Christi Salvatoris nostri dicentis: *poenitentiam agite; appropinquavit &c.*

Facies leonis &c. Ezech. 1. 10. Leonis gerit imaginem, ob rugitum vocis suæ; quâ docet poenitentiam agere, deserere vitia, repugnare diabolo, futurum devitare Judicium. S. Laur. Just. l. in festo S. Marci Evang.

Et factum est, cum accumberet in domo illius multi publicani, & peccatores, simul discumbant cum Jesu. Marci 2. 15. Magnò mox convivio in domo sua instructo, cum Christum ipsum, tum cæteros omnes familiaritate conjunctos, benigne ad illum invitavit. Fecit id autem, nè solus ipse beneficium accipiat; sed reliqui omnes, qui ad epulum vocati venerant. Victor Antioch. hic de S. Matthæo.

Misit servum suum hora cæna dicere invitatis &c. Luc. 14. 17. Dum cuilibet reversum agenti dicimus; convertere, Deum sequere, Mundum relinque; ubi hanc, nisi ad Dominicam coenam, vocamus? S. Gregor. hom. 36. in Evang.

Et calcamenta in pedes ejus. Luc. 15. 22. Per hæc significatur promptitudo, & cursus, ad actus virtutum, præsertim prædicationem Evangelii: poenitentes enim maxime sitiunt aliorum poenitentiam, & salutem. Ità S. Hieron. Ambros. August. l. 2. Evang. qq. apud Cornelium hic.

Tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Luc. 22. 32. Piscina tua fratris vomica est, in eam si detenderis primus, licet Naaman sis, Angelus emerges. Quære peccantem: utque fratris ex vulnere exfluxeris mortem; vives. Lepræ tuæ nolo Elizeum quæras, sed Naamanum. *Confirma fratres tuos:* nolo Joannem

nem adeas hili coronatum; Thomam con-
sequere. Paulus, cum visum recepisset, non ad
Apostolos Ierosolimam profectus est; sed, ci-
atricem plagis suis obducturus, Synago-
gam, Judaeorum Damasci irrupit. Act. 9. 20.
Velamen eorum ex oculis detracturus; ut eò
vulnus suum obligaret. *Et continuo in sy-
nagogas predicabat Iesum.* Judæos conve-
nit, non Apostolos: ratus ita barbariem suam
eradi posse, traductis ad Christum contribuli-
bus suis. Oliva l. r. Strom. §. Tu aliquando &c.
Theodoretus orat. de charit. sicut ego te non
despexi & cum fluctuares, & laborares; ita tu sis
quoque sustentaculum fratribus, qui circumgan-
tantur; & id, quod es assecutus, imperti auxilium.

*Cornelius expectabat illos convoca-
tis cognat suis.* Act. 10. 24. Præ gaudio: quia
drachma animæ suæ inventa, adveniente
Petrò: ut illa mulier præ gaudio *convocat a-
micos.* Luc. 15. 9. S. Chrysof. hom. 23. in A-
cta: hoc amici officium, hoc pii est; in tan-
tis bonis amicos facere socios. Sylveira hic.

S. Chrysofomus eò ipsò, quò in cathedram
Constantinopolitanam sublimatus est, die, cor-
am Imp. Arcadio, & universa nobilitate, mag-
nâque Episcoporum multitudine, ita concio-
nem primam exorsus est: Nos, qui ineffabi-
libus Dei rationibus ideo ad vos venimus, ut
voluntatem ejus testificaremur; hoc primum
verbum à Christo, & divino ejus Præcurfore,
accipientes, vobis annuntiamus: *penitentiam
agite; appropinquat enim regnum cælorum.*
Matth. 3. 2. Hac autem vobis in memoriam
revocare non gravabor, nullâ difficultate im-
pediatur; quin eandem vobis perpetuò incul-
cem,

§. XXXI.

Miscellanea.

Oculetur me osculo oris sui. Cant. 1. 1. Non
temerè assurgat anima ad os Serenissimi
Sponsi; sed ad pedes severissimi Domini mecum
pavida jaceat; & cum publicano terram tre-
mens, non cælum, aspiciat: nè confusa in lu-
minaribus cæli facies, assueta tenebris, obrua-
tur à gloria. S. Bernardus l. 3. in Cant. Longus
saltus, & arduus est, de pede ad os; sed nec
accessus conveniens. Quid enim? recentî ad-
huc respersus pulvere ora sacra continget? Heri
de luto tractus, hodie vultu gloriæ præsentat-
ris. Id. ib.

Nisi conversi fueritis &c. Matth. 18. 3.
Tunc penitentia fides habetur, cum humili-
tati conjuncta est. S. Basilii Seleuc. orat. hic,
illud: nisi conversi.

Stans retro. Luc. 7. 39 Stabat retro, quia ejus
vestigia imitari proponebat. S. Anton. Pad. fer.
5. D. Passi.

Cum in se reversa cognosceret, quam malè
ambulasset, à tergo Domini se constituit; ut
jam non suum instinctum, sed Domini ductum,
& vestigia sequeretur. Sylveira hic.

Vis sanus fieri. Joan. 5. 6. Eadem imagine
affatur in interiori sensu quemlibet peccato-
rem. Quid ista interrogatio sentire videtur?
nisi, visne infirmus ore proprio confiteri pec-

catum? Affectas sanitatem; adisse te oportet
infirmiorem, Placene tibi sanitas? ergo dis-
pliceat infirmitas. Sim. Cassi. l. 5. c. 27.

Cadens in terram. Act. 9. 4. Ceciditne in
faciem? an retrorsum? S. Gregor. hom. 8. in
Ezech. putat in faciem cecidisse: quia peniten-
tes, ac justificandi, per humilitatem, ac pen-
itentiam, in faciem cadunt; reputantes se in-
dignos cælum videre. Impii autem retrorsum
cadunt, tanquam nunquam erigendi. Sic Ju-
das, & Judæi comprehedentes Iesum, *abie-
runt retrorsum, & ceciderunt in terram.*
Joan. 18. 6. Sylveira hic. In faciem cadere, est
in hac vita suas unumquemque culpas agno-
scere, & penitendo desistere. Retrò verò, quò
non videtur, cadere, est ex hac vita repente
decedere; & ad quæ supplicia ducatur, ignora-
re. S. Gregor. mor. l. 31. c. 10.

Est nobis spes magna penitentibus: quia
Advocatus noster factus est Judex noster. Id.
hom. 34. in Evang. in fine.

Quis tam malitiosus; ut non peniteat his
diebus? S. Bernardus l. de Passi. D.

Vasa figuli probat fornax, & tribulatio verè
penitentes discernit. Id. tr. de gradib. superbiæ
gr. 8.

Quia hæc Dominica cœnæ sacra fe-
stivitas multa in se habet mysteria; ideo in ea
specialiter penitentibus confugium unum vi-
detur esse ad Dominum; & non solum publicè
penitentibus; sed etiam omnibus Christianis.
S. Eligius Noviom. hom. 6. in Cœna Domini.

Hac die penitentibus per indulgentiam sub-
venitur; discordes ad concordiam hodie re-
deunt; pacificantur irati iudices, & jam latro-
nibus parant; patefcunt carceres in toto orbe;
dant indulgentiam principes criminis; servis
malis indulgent Domini. Id. hom. 10. de Cœ-
na Dom.

Penitentia indigna admodum est patientiæ;
citra cujus operam perfici nequitiam potest.
S. Antiochus Abb. hom. 78.

§. XXXII.

Impenitentia.

Spiritus autem blasphemia non remittetur.
Matth. 12. 31. Hæc omninò impenitentia
non habet remissionem neque in hoc sæculo,
neque in futuro. S. August. l. 11. de Verb. D.
secundum Matth.

Thesaurizas tibi iram in die ira. Rom.
2. 5. Dum ad penitendum tempus accipit,
& ad peccatum expendit; ipsum remedium
gratiæ vertit in augmentum culpæ. S. Ansel-
mus.

Non dolere, quia peccaveris, magis in-
dignari, atque irasci facit Deum, quam illud
ipsum, quod antea peccaveras. Propter quod
in ipsam jam dignum erat demergi terram, &
nè solem quidem istum videre, non respirare
profusus. S. Chrysof. hom. 14. in Matth. 4.

Fuit Toleti juvenis, ab ineunte ætate
corruptis moribus: qui cum cœpisset agro-
tare, ab accedente Confessario de penitentia
monitus, negavit tunc esse necessitatem

confessionis. Idem Medicus, idem sodales, & amici eum invisentes, sed frustra, suadebant. Denique Medicus, deprehensis signis instantis mortis, scribē urgere ad poenitentiam, pradicere post pauculas horas mortem; sed frustra. Tandem profertur, se Confessarius, & orat ante Crucifixum Pl. 129. 1. De profundis cla-

maui ad te Domine &c. cūque perveniret ad illa verba: *fiant aures tue intendentes &c.* mirum dictū! refigit crucifixus brachia de cruce, & manibus aures suas obturat cum ingenti horrore astantium. Illicō audita vox: *quia vocavi, & renuisti; ego quoque in interitu tuo ridebo.* Georg. Raab. in reg. prud. c. 11.

TITULUS XXV. POTENTIA DEI.

§. I.

Testimonia.

IN principio creavit Deus caelum, & terram. Gen. 1. 1. Deus præter humanum morem, suum perficiens adificium, prius caelum extendit, postea & terram subternit; prius culmen, & postea fundamentum. In hominum sanè operibus nihil tale unquam fuit: sed, jubente Deo, voluntati ejus parent; & cedunt, omnia. S. Chrysostr. t. 1. hom. 2. in Gen.

Factus est homo in animam viventem. Gen. 2. 7. Chald. in animam loquentem. *Formavit Dominus Deus hominem de limo terræ.* Hebr. *plasmavit Deus hominem pulverem; vel lutum, de terra. Insuperavit:* ut ostenderet, ait Theodoretus, tam facile esse Deo animam creare, quam homini insufflare. Cornelius hic.

Quis sum ego, ut vadam ad Pharaoem? Ex. 3. 11. Sapius se Moyses apud Deum excusavit de adeundo Pharaone. Ad quem Dominus: *ego ero tecum; & hoc habebis signum, quod miserim te.* v. 12. &c. Quarunt Interpretes, quodnam fuerit hoc signum à Deo exhibitum; ex quo Moyses intelligeret, se aptum fore tantæ legationis ministrum: an prodigium aliquod? quale dedit Gedeoni Judic. 6. 37. quale dedit Ezechia. 4. Reg. 20. 9. quale promisit Achaz. li 7. 11. Nullum simile in litera profertur. Aptè Burgensis: in habilitas, seu debilitas, Moysis, quam Deo offendeat ad excusationem suam, erat intenta à Deo, ut esset signum manifestum de hoc: quod istaeductio fieret à solo Deo: Mendoza in 1. Reg. 14. 7. hic.

Percutens virgā bis siliem. Num. 20. 11. Silex est petra dura, sicca; inepta ad aquam, sed prompta ad ignem; ut notat Abulens. ut sic reluceret magis divinā virtus. Sylveira Addit. in Joan. 2. c. 6. q. 2.

Omnis que populus per arcem alveum transibat. Joan. 3. 17. Celebrant Historici. Euphratis divisionem; quam primò fecit Semiramis, secundò Cyrus, tertio Alexander M. Cyrus enim Babylonem expugnavit, Euphratem, qui eam interluit, in fossas plurimas dividendo; ac per siccum Ephraitis alveum in urbem milites immittendo, teste Herodotò l. 1. At quot mensibus in his fossis effodiendis laboratum est? quantis impendiis? quot hominum millibus? Josue verò Jordanem, inferendo in eum solum Arcam, illicò divisit, siccavitque; ac per eum trices centena millia hominum, cum

tot millibus gregibus ovium, boum, asinorum, camelorum, equorum, curruum &c. paucis horis traduxit. Similiter Elias, palliò suò percutiens Jordanem, eum divisit, ac per divilum sicco pede transivit. 4. Reg. 2. 8. Idem fecit Elizaus. 4. Reg. 2. 14.

Aperuit itaque Dominus molarem dentem &c. Judic. 15. 19. Deus per eandem maxillam sitis remedium præbuit, eliciens ex ea aquæ fontem perennem. Disce, quam magnus Deus, per res viles, & parvas, uti per maxillam, magna operetur. Quare nemo desperet, se ejus ope magna facturum; dummodo ei strenuè cooperetur. Cornelius hic.

Hoc est vel maxime potentie Dei munus, hoc imprimis ostendit ejus vires; quòd in medijs malis, & periculis, non sinit dejici animum. S. Chrysostr. in Pl. 137.

Quis videns differentes hominum in tot millibus formas, & nunquam secundum omnia convenientes, non mirabitur opus. S. Greg. Nyss. l. 8. de provid. c. 1.

Ut ex linea unica Apellis inimitabilem in pingendo peritiam luculentè deprehendit Protopogenes; ita certè, tametsi scarabæum, aut muscam duntaxat, condidisset Deus; abundè potentiam, ac magnificentiam suam, testatus esset; & gloriam eo mereretur infinitam, quòd de nihilo, & solus, adeoque facillè id procreasset: quod Angelorum omnium nullus intellectus, nulla hominum brachia, nulla opificum instrumenta, nulla sapientum industria, nulla regum potentia, attentare auderet, nedum valeret perficere. Doultreman de amore l. 3. c. 5. Sect. 1.

§. II.

Pœnitentiæ divinæ omnia facilia.

Dixitque Deus. Gen. 1. 3. id est, mente concepit, voluit, imperavit efficaciter; atque imperando reipsa efficit: Dei enim velle, est facere, inquit S. Athanas. l. 3. contra Arrianos. Cornelius hic.

Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Pl. 148. 5. Cùm universum conderet terrarum orbem, & omnia, quæ in illo sunt, à principio dixit, & facta sunt. Non aliter Angelorum naturam, quam cujuscunque vermiculi, creavit; non amplius laboravit. Ar verò, cùm hominis naturam plasmare vellet; ut ostenderet, qualis esset, quem facere volebat, quantumque illum diligeret